




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-661728-p0001-8

DFG



1784

344
381

DISSERTATIO HISTORICO-ECCLESIASTICA DE Patriarchatibus, Primatibus, AC Dignitatibus metropoliticis.

QUAM
UNA CUM PARERGIS SELECTIS

EX

HISTORIA ECCLESIASTICA UNIVERSALI,
AC PARTICULARI

P R A E S I D E

A N D R E A S P I T Z

ABBATIÆ TUITIENSIS ORD. S. BENEDICTI PROFESSO,
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ AC THEOLOGIÆ LITTERARIE
PROFESSORE O. & P.

ERUDITORUM TENTAMINI EXPOSIT IN AGROATERIO
MAJORE BONNENSI

MANSUETUS SCHRÖDER

MIN. CONVENT. PRESBYTER, HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
AC JURIUM AUDITOR

Die 1. Julii 1784. Mane à IX ad XI.

B O N N A E,
EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACAD. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

*Si quis dixerit in Ecclesiâ Catholicâ non esse Hierarchiam
divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Pres-
byteris, & Ministris, anathema sit.*

Trid. Sess. XXIII. de Sacrament.
Ord. Can. VI,



PRO E M I U M.

Christus Dominus ex hoc Mundo abiturus ad Cœlos, cum Ecclesiā instituisset ad instar Republicæ sacræ (in quā non solum docentes, eosque audientes, sed & in quā Imperantes, eisque parentes) pro hoc totius Ecclesiæ Regimine suos in terris Legatos, ac Vicarios constituit, ac reliquit duodecim scilicet, quos elegerat, Apostolos. *Data est mibi* (ita post Resurrectionem suam omnes sine Discrimine alloquebatur) *omnis potestas in Cœlo & in terra.* *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nominis Patris, & Filiī, & Spiritus sancti* (a). *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos* (b). Unus tamen, Petrus, ex duodecim (ut Unitati, & paci Ecclesiæ perpetuo conservandæ magis propliceretur, ut Capite constituto Schismatis tolleretur Occasio) specialiter præ omnibus aliis electus, qui supremâ in omnes Christi fideles, vel in ipsos Apostolos potestate, ac jurisdictione in tota præmineret Ecclesia. *Et ego dico tibi* (ita Christus ante passionem suam, singularem illam Petri de Christi Divinitate Confessionem, tu es Christus filius Dei vivi, singulari volens remunerari præminentia Petrum singulariter alloquebatur) & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiā meā . . . & tibi dabo Claves regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis (c).

A

Eam,



Eam, quam appromiserat præcipuum potestatem, fidelis in suis promissis Christus post Resurrectionem suam re ipsa contulit (d) Simon Joannis diligis me plus bis? . . . pasce agnos meos, pasce oves meas, Petro non modo Agnorum, seu populi, sed & ovium, seu Apostolorum supremam committens Curam. Hæc ea, cum quæ à Christo Domino (qui ejusdem Summus lapis angularis, unicum & principale fundamentum, præter quod nullum aliud ponи potest (e).) instituta Ecclesia, ut per universum terrarum orbem diffundenda, ita ex ejusdem Christi Domini voluntate usque ad Consummationem facili esset perduratura (f). Potestatem Petro collatam pertransiisse ad ejusdem Successores (qui soli Episcopi Romani) potestatem quoque à Christo immediate Apostolis concessam ad eorundem Successores (quales cum Trid. (g) veneramur ipsos Episcopos, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (h).) ex eadem Christi voluntate pertransiisse necesse est, Regiminis igitur ecclesiastici forma, qualis ex ipsa Ordinatione divina instituta, quoad Substantiam, ut dici solet, omnino immutabilis, & invariabilis, nulli quoque mutationi (prout juris divini est, obnoxia Hierarchia ecclesiastica, in qua juxta Trid. (i) præter S. Pontificem continentur Episcopi, Presbyteri, & Ministri, utrique tamen Hierarchiae cum *Ordinis*, tum *jurisdictionis* antiqua quoad Substantiam immutata permanente, nova & varia pro Ecclesiæ Disciplina secundum rerum & temporum Circumstantias variabili successu temporis accedere incrementa, nova in Ecclesia Ministrorum nomina, ab antea inaudita nova eorundem invaluere officia, nova pro nova Ecclesiarum Necessitate ac Utilitate introducta Dignitates v. g. Patriarchales, Primatales, Metropoliticae &c. In Originem & jura harum Dignitatum inquirere institutum praesentis Dissertationis, ne vero falcam (ut dici solet) in alienam mittamus fege-

segeteno, ad particularia non digrediemur, sed generalia solum per tractando Dissertationis suis concludetur limitibus. Sit itaque

- (a) Math. 28. v. 18 & 19.
- (b) Joan. 20. v. 21.
- (c) Math. 16. v. 18. 19.
- (d) Joan. 21. v. 16. 17.
- (e) 1. Corinth. 3. v. 21.
- (f) Math. 28. v. 20.
- (g) Sess. 23. de Sacr. Ord. C. 4.
- (h) Act. 40.
- (i) Sess. 23. de Sacr. Ord. Can. 6.

C A P U T P R I M U M.

*Exponuntur Origo, Progressus, ac jura antiqua
Patriarchatum.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Origine Patriarchatum.

§. I.

Pro clariore Intelligentia quæstionum (quæ de rebus ipsis pertrahant) pauca præmitimus ad Elucidationem ipsarum Vocabum necessaria, & imprimis, quantum attinet ad Etymologiam nominis: *Patriarcha*. Vox hæc græca, ac antiqua rūm in V. cùm in N. saepius usurpata testamento, sì in sua originaria spectetur significatione *primum Patrum*, seu aliquem inter Patres insignem, aut præcipuum cuiusdam familie Caput denotat, hoc sensu legitur: *Secunda nocte in Copulatione Sandorum Patriarcharum admitteris* (a). item, *bi Patriarchæ, & Cognitionum Principes, qui habitaverunt in Jerusalem* (b), in novo pariter testamento ea voce primores Judæorum indigitantur, ut David Patriarcha dicitur (c) item Abramam (d). Idipsum nomen, prout Dignitatem aliquam significat, *primum* in usu fuit apud Judæos, qui post eversam Hierosolymam suos Principes *Patriarchas* vocitare solebant, à Judæis nomen istud adoptasse Montanistas, suorum quibusdam Montani Discipulis nomen

illud



illud adjudicando testis est S. Hieronimus (e): *apud nos (Catholiceos) Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos (Mentanistas) Episcopus est tertius, habent enim primos de Perusa Phrygiae Patriarchas.* Adoptarunt quoque illud nomen Catholici, ita tamen, ut primum omnibus promiscue Episcopis fuerit accommodatum (ex praefatis Verbis S. Hieronimi colligimus nondum in Ecclesia eo tempore Patriarchas fuisse distinctos ab Episcopis) dein solis Exarchis redditum proprium, ac denique solis tribus, aut quinque primarum orbis Romani urbium Episcopis fuerit reservatum, primus, qui hoc nomen quibusdam Dioeceseon Archi-Episcopis imposuit, fuit Socrates (f) hoc vero sensu in monumentis publicis Ecclesiae hoc nomen incognitum usque ad tempora Concilii Chalcedonensis, in quo praecipuis Dioeceseon Exarchis, quo nomine tunc temporis maiores Metropolite communius veniebant, id attributum legimus, ac peculiari ratione in acclamacionibus Patrum Leoni I. S. P. Sanctissimo, ac Beatisissimo universali Archi-Episcopo, & Patriarchae magnae urbis Romae Leoni . . . Ab eo tempore hisce Exarchis fere solis illud nomen inhæserat, licet hinc inde aliis quoque Metropolitis aut Episcopis appropriatum inveniamus, de quo vid. DU PIN (g). Quidquid vero sit de ipsa nominis Origine, spectatissimæ semper in Ecclesia fuere tres Sedes primariae, cæteris omnibus præminentibus, Romanæ scilicet, Alexandrina, & Antiochenæ, quarum antistites ampliori fruebantur jurisdictione, ac pluribus non modo Provinciis, ac Dioecesisbus præerant, hisce in antecessum præmissis ad rem ipsam transitum facimus.

- (a) Tobit Cap. 6. v. 20. (b) Paralip. 8. v. 28. (c) Act. 2. v. 29. (d)
Hebr. 7. v. 4. (e) Epist. 54. ad Marcellam. (f) Lib. 5. Cap. 8. (g) de
Antiq. Eccles. Discipl. Dissert. I. §. 5.

§. II.

§. II.

5

Undenam prima Ecclesiarum, ac Dignitatum patriarchalium incunabula repetenda, in eo Scriptores variis abierte in Sententias. Sunt quidam, qui Sedium patriarchalium incunabula ab ipso met Christo Domino derivanda, aut certe illarum Institutionem apostolis in acceptis esse referendam praetendunt. PETRUS DE MARCA (a) duo probanda in se suscipit, quorum primum, Apostolos orbem Ecclesiasticum in Provincias distribuisse ad exemplum Distributionis Civilis, quae tunc in Imperio vigebat, alterum est, Apostolos hoc ipso in animo habuisse quoddam quasi Corpus Episcoporum statuere sub praesidentia alicuius Metropolitae, vel omnino Patriarchae in Urribus Metropolibus residentis, inde Patriarcharum & Metropolitanorum institutionem ipsorum Apostolorum ordinationi concludit esse adscribendam, primum auctoritate Petri & Pauli evincere conatur, quorum primus scribens ad novos Christianos secundum limites provinciarum Romanarum eosdem accurate compellat: *Petrus Apostolus Iesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Capadociae, Asiae & Bityniae secundum praescientiam Dei Patris &c.* (b) in alterius vero Epistolis saepius deprehenditur Distributio Ecclesiarum in Provincias veluti Ecclesiarum Macedoniarum, & Ecclesiarum Asiae, alterum probat ex illo Pauli (c) reliqui te Cretae, ut constitutas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi, quod, quid aliud, quam Titum constituere ampliori cum potestate, auctoritate scilicet, in unaquaque Urbe ordinandi Presbyteros, id est: Episcopos? ecce Metropolitaniani Institutionem, ita DE MARCA, adjungens insimul rationem, quae Apostolos impulerit ad imitandum in sua illa Provinciarum institutione exemplum Imperii, instituendo scilicet Metropolitanos



litanos ea in Civitate, qua provinciae Caput erat, quoniam in illis
 omnes confluunt, pro negotiorum suorum utilitate, conformiter Ca-
 noni Synodi Antiochenæ 9. Episcopos, qui sunt in unaquaque Pro-
 vincia, scire oportet, Episcopum, qui præfet Metropoli, etiam curam
 suscipere totius Provinciæ, eoque in Metropolim concurrunt om-
 nes undeque, qui habent negotia, unde visum est eum quoque
 honore præcedere, reliquos autem Episcopos nihil magni moxient
 aggredi sine illo, ut vult, qui ab initio obtinuit patrum Canon, nisi
 hac sola, que ad uniuscujusque Parœciam conferunt . . . Adnotat
 ad hunc Can. CABASSUTIUS (d). Parœciam olim dictam, quæ nunc
 Diœcesis dici solet, cum olim Diœcesis nomen tam in Ecclesiastico,
 quam Civili usu complures simul complesteretur Provincias. Verum,
 quam infirmis prædictorum Sententiae nituntur argumentis, ac im-
 primis quod attinet ad primum, Christum scilicet ipsummet patriarcha-
 lem instituisse Dignitatem, innane est Commentum, ne ullam qui-
 dem verisimilitudinis umbram habens, uti diserte ratiocinatur DU PINIUS
 (e). Ubinam siquidem Christus extra Judæam prædicavit,
 quasnam gentilium Urbes, quamdiu hisce in terris conversabatur,
 vel per se, vel per suos ad fidem convertit? quoniam igitur jure dici
 valet Sedes patriarchales ab ipsomet Christo modo fuisse institutas?
 Innegabile quidem omnino Christum potuisse Apostolis dare in man-
 datis, ut ipſi post gentium Conversionem Patriarchas constituerent,
 concedendo quarundem Ecclesiarum Episcopis peculiaria quædam jura,
 ac ampliorem præ cæteris, & in cæteros Jurisdictionem, ast ubinam
 hujos mandati ullum vestigium? gratis igitur, ac infundate quoque
 assertur Patriarchatus ab Apostolis ex Christi mandato fuisse institu-
 tos. Verum est, Apostoli suas direxere Epistolas ad distinctas Pro-
 vincias, verum qui inde sequitur: ergo instituta Ecclesie secundum
 Distin-

Distinctionem Urbium, & Provinciarum? hoc solutus conciliandi valet ergo Ecclesiæ fuere distinctæ propter Distinctionem Urbium & Provinciarum, in quibus Christi fideles degebant, admittamus: Paulus Tito contulit potestatem constituendi per Civitates Presbyteros, constituendi quoque Episcopos, Jus patriarchale, aut metropoliticum fuisse eidem concessum ex eo nondum probatum, aut sin hoc, eodem jure poterimus inferre Apostolos omnium illarum Provinciarum, in quibus Presbyteros, ac Episcopos ordinabant, fuisse Patriarchas, aut Metropolitas (f).

- (a) De Concord. Sacerd. & Imp. L. r. Cap. 3. item Lib. 6. Cap. r.
 Cap. t. (c) ad Tit. Cap. r. (d) in Notit. Eccles. (e) Diff. cit. §. 6.
 (f) Conf. du PINIUS L. cit.

§. III.

Nonnulli alii eas Sedes patriarchales asseverant, quas Petrus ipse fecerat fundaverat, siveque in easdem effuderat quandam plenitudinis apostolicae plenissimam participationem, qua illum Christum dotaverat, haecque de Causa Ecclesiæ Romanae, Alexandrinae, & Antiochenæ Jura patriarchalia attributa fuisse contendunt, utpote quas Petrus ipse, Romanam quidem & Antiochenam per semetipsum, Alexandrinam vero per Marcum ejusdem Discipulum instituerat, ita THOMASSUS (a), cur vero non potius Antiochenæ Ecclesiæ secundus, Alexandriae vero tertius locus assignatus, cum hanc Petrus filius Discipuli opera instituerit, illam vero ipsem fundaverit, ac plurimis annis rexerit, hujus quidem hanc assignant rationem, Petrum scilicet ab antea Alexandriam venisse, ibique Evangelium prædicasse, quam Antiochiam, utque Antiochiam proficeretur, Ecclesiæ Alexandrinae in sui vicem præfecisse Marcum Episcopum. Volunt vero alii Alexandriani (quæ secundas post Romanam partes nacta erat in civili politia)

etiam



etiam in Ecclesiastica Prælatam esse Antiochiae. Aliter vero dū Mes-
 NIL (b) discurrit: „Hunc igitur dignitatis (patriarchalis) gradum
 non obtinuere propter amplitudinem, vel quod jure civili aliis præ-
 eminerent . . . Hunc honorem non habuere primi Metropolitani ex
 Dignitate Civitatis, sed quia Apostoli, & Viri apostolici in majori-
 bus Urbibus primo prædicarunt Evangelium, cuius lumen inde in
 minores Urbes, & Pagos facile sese diffudit per Episcopos, quos à
 se consecratos mittebant Metropolitani, quorum proinde Jurisdicō
 innitebatur multis Juribus ecclesiasticis. Ipsi speciali ratione erant
 Successores Apostolorum, & Sedium apostolicarum, præterea mino-
 res Ecclesiæ tanquam Matrem agnoscebant Metropolim, quæ eas in
 Christo genuerat per Evangelium, demum earum Episcopi titulo
 Missionis & Consecrationis unionem cum suo Capite retinebant, &
 subordinationem“. Præfatae THOMASSINI opinioni duo præcipua DO-
 PINIUS opponit: primum si ex eo repetenda Institutio dignitatis pa-
 triarchalis, ex facta scilicet Ecclesiarum Institutione per Petrum innu-
 meras fore Sedes patriarchales, quia innumerā Petrus fundavit, ac
 rexit Ecclesiās, latum esse discrimen, Ecclesiās apostolicas inter &
 patriarchales, multas fuisse & olim quoque dictas apostolicas, utpote
 ab Apostolis institutas, non itidem tot patriarchales, unde TERTU-
 LIANUS (c) percurre Ecclesiās apostolicas, apud quas ipse adhuc Ca-
 thedræ Apostolorum suis locis præsidentur, inter easdem recenset
 Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, quæ prærogativis
 Ecclesiarum patriarchalium nunquam gavisse; alterum, quod oppo-
 nit: Ecclesia Hierosolomytana (licet eam Christus sua Præsencia ho-
 noraverit, licet in ea non modo Petrus, sed & cæteri Apostoli sede-
 rent) Sedes patriarchalis non erat primis Ecclesiæ Sæculis; ecce ergo
 Alexandrina, quam Marcus Petri Discipulus, non Petrus ipsem
 funda-

= = = = =

fundaverat, atque rexerat, statim ab initio secundum inter patriarchales Sedes locum obtinuit, quem expost, quo honore carebat tempore Apostolorum, obtinuit Ecclesia Constantinopolitana? Origo itaque dignitatis patriarchalis non repetenda à dignitate eorum, qui eas Ecclesias primi fundarunt atque rexerunt, aliunde igitur Originem Sedium patriarchalium deducendam arbitratur DU PINIUS, deducendam nimirum ex ipsa Romani Imperii divisione. Notum si quidem Imperium romanum in Regiones, ac Provincias fuisse distributum, ac in his constitutas fuisse Urbes quasdam primarias, seu Metropoles, unde cæteræ totæ penderbant, in iisdem Metropolibus ob Concursum omnium provinciarum Incolarum summa exercebantur Judicia, ab iisdem petebantur Decisiones caesarum atque emanarunt provinciarum Ordinationes, simile quid præfatus Author in rebus ecclesiasticis contigisse autumat, aut ordinandus, aut deponendus erat Episcopus, causa quadam inter ipsos Episcopos agitatæ decidendæ, pertractandum aliud negotium majoris momenti, aut Disciplinam, aut fidem concernens &c. opus consequenter erat judice sublimiore quadam potestate prædicto, ipsimet Apostoli, per quos similia ab antea componebantur, non amplius supererant, ad quem igitur in similibus, & pro ejusmodi causis dijudicandis convenientius recurrebatur, quam ad Episcopum urbis metropoliticæ, in quem ipsius loci sublimitas sublimorem quandam potestatem aliunde transfusisse videbatur? ita Consuetudine paulatim introductum, ut Ecclesiæ urbium Metropolium, & ipsæ velut metropoliticæ debita Veneratione agnita, quarum Episcopi in causis majoribus superiori quadam præ aliis gaudere potestate agnoscebantur, quæ consuetudo deinde confirmata Canonibus v. g. 6. & 7. Concilii Nicæni, Can. 17. Conc. Chalcedon, &c. quo ultimo ita statutum: *Si vero qualibet Civitas per antiquitatem*

B

vitatem



ritatem Imperialem renovata est, aut si renovabitur in posterum?
 Civilibus & publicis Ordinationibus etiam Ecclesiastarum parochianarum Ordinationes confirmantur. In hac itaque sententia illi Episcopi privilegiis ac prærogativis Patriarcharum, ac Metropolitarum suomet jure fruebantur, qui primariis provinciarum Civitatibus, à quibus reliqua pendebant, erant præfecti spectata Imperii Romani in provincias Distributione, & civilis Regiminis forma, inattenta Hierarchia apostolico confirmata instituto.

(a) P. i. L. f. Cap. 7. 8. (b) Lib. 2. Doctr. & Discipl. ad ann. 56. N. 71.
 (c) Lib. de Præscripto.

§. IV.

Data DU PINII opinio omni ex parte non videtur approbanda, ac primo admodum infirma illa sequela ex Doctrina THOMASSINI deducens, sequi nimirum innumeras fuisse Sedes tum patriarchales, rum metropoliticas, tot scilicet, quot vel à Petro, vel à reliquis Apostolis fuere institutæ Ecclesiæ; ecquis enim adeo despiens, ut omnibus illis dignitatem Patriarchatus adjudicet? ex solum per Apostolorum Principem vel per alium ex ejusdem speciali jussu erectæ eavisse prærogativa, quibus Apostoli habita ratione præcipuarum urbium, in quibus Sedes Imperii, eandem contulerunt. Vacillat quoque & altera ratio ab Ecclesia Hierosolomitana petita, in qua Petrum una cum ceteris Apostolis sedisse affirmat, sim enim hoc de fixa Sede episcopali intelligendum, aperte falsitatis convincitur, omni enim caret dubio, primum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopum non S. Petrum, sed exitisse S. Jacobum, quæ vero de causa & occasione, & qualiter Sedibus patriarchalibus accenseri cœperint Ecclesia Hierosolymitana, & Constantinopolitana, de eo infra videbimus. Id vero, quod prælaudatus DU PINIUS adiituit, provinciarum nimirum ecclesiasticarum

Ecclesiarum Divisionem olim regulatam juxta Normam & Divisionem
 Imperii, ita, ut illa Ecclesia velut Metropolitica habita, quæ Eccle-
 sia urbis Metropolis, id inquam reprobare nescimus; ex quanam
 enim causa omnium Ecclesiarum antiquissima, pariter & Sanctissima
 Ierosolymitana nihil antiquitus, quam simplex Parocchia, Cæsareae
 Palestinæ Metropoli subiecta, & suffraganea habebatur, non alia de
 causa, quam quia secundum civilem Imperii partitionem Cæsarea ve-
 luit Metropolis totius Palestinæ agnoscerebatur? similiter undenam ve-
 niebat, quod Byzantinus Episcopus, postea sublimatus ad apicem dig-
 nitatis patriarchalis suo tempore extiterit Suffraganeus Heraclensis
 Metropolitæ, ratio non alia, quam quia Hieraclea ab irato & infenso
 septimo severo supra Byzantium fuerat sublimata? En iuculentum
 argumentum Metropoles ecclesiasticas annexas fuisse Metropolibus
 Civilibus. Vid. CABASSUTIUS (a) unde ex ipsa loci Dignitate ac Præ-
 rogativa singularis quedam Dignitas, ac Prærogativa in ipsam ejus-
 dem loci Ecclesiam redundabat, quare Magnif. & Cl. p. ZALLWEIN (b)
 non sine Numine Divûm factum esse existimat, quod Petrus ipse in
 primariis tribus Urbibus Romana per Occidentem, Antiochena per
 Orientem, Alexandrina per Meridiem instituerit Ecclesias, hacque
 ratione in Ecclesia renovatam fuisse jam dudum factam à Romanis
 Imperii Divisionem diserte afferit ANACLETUS P. (c). Et illud quo-
 que (quod THOMASSINUS prætendit, scilicet ab ipsis Ecclesiæ pri-
 mordiis singularem quandam, & præcellentissimam Romanæ, Alexan-
 drinæ, & Antiochenæ Ecclesiæ fuisse potestatem, ut quæ in eas pro-
 fecta sit à Petri principatu, qui eas & instituerat, & præsentia sua
 coherestaverat &c.) & illud, quo inquam jure reprobari valeat, non
 videmus. GELASIUS P. in Synodo R. (d) ex eo singularem dicta-
 rum Ecclesiarum præminentiam promanare declarabat „quamvis
 univer-



universæ per orbem catholicæ Ecclesiæ, inquit, unus Thalamus Christi fit, sancta tamen Romana Ecclesia nullis Synodicis Constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Primatum obtinuit . . . Tu es Petrus, & super &c. est ergo prima Petri Apostoli Sedes Ecclesia Romana, secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejusdem Discipulo, & Evangelista consecrata est, ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia vero Sedes apud Antiochiam ejusdem B. Apostoli Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis extoratum est^a Cum Cl. itaque ZALLWEIN I. cit. duas istas diversas esse conciliandas opiniones, ac utramque in subsidium esse vocandam, originem scilicet dignitatem Patriarchalium tum ab Ecclesiis Matribus per Petrum fundatis, tum ab urbibus Metropolibus esse derivandam arbitramur, in erigendis siquidem eisdem Ecclesiis Petrus sine dubio ipsam dignitatem & celebritatem Locorum (utpote è quibus Lux Evangelii in alias Provincias facilius propagaretur) respexit, sine dubio quoque ipsi Christiani easdem Ecclesiæ singulari veneratione ac honore fuere prosecuti, unde factum, quod moribus populi, ipsorum quoque Episcoporum varia quædam jura, ex quorum complexu denique erta jura Patriarchalia, in illarum Ecclesiæ Episcopos fuerint translata.

(a) Diff. 14. de Provinc. Eccles.

(b) Tom. 4. Princip. J. Eccles. q. 2. Cap. 8.

(c) Can. Provincias Distinct. 99.

(d) de an. 494^s

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Statu, ac Progressu Patriarchatum.

§. I.

Tres trium præcipuarum orbis Romani Civitatum, ut modo vidi-
mus, Episcopi Romanus, Alexandrinus, Antiochenus antiquitus
jure Patriarchatum præeminebant, inter hos vero Principem locum
semper obtinuit Episcopus Romanus, in quo quintuplicem personam
juxta diversum genus potestatis, ac jurisdictionis distinguere licet.
Primo siquidem est urbis *Rome Episcopus*, sustinet 2do personam
Metropolitæ in Provincia Romana, 3to *Primatis in Italia*, & ad-
jacentibus Regionibus, 4to personam *Patriarchæ*, 5to eundem ut
Primatem universalem, & *supremum* in toto orbe catholico agnos-
cimus, id quod nulli alteri Patriarchæ proprium, utpote quorū
omnium potestas intra certos certarum Provinciarum limites coarctata,
quousque vero Episcopi Romani potestas patriarchica sese extenderit,
controvertitur. DE MARCA (a), THOMASS. (b) NATAL. ALEX. (c)
& alii non insimi subscilii Doctores patriarchatum Episcopi Romani
per omnes totius, qua late patet, Occidentis Provincias sese exten-
disse judicant, primo argumentum petunt ex Epistola synodica Con-
cilii Arelatensis I. (d) in qua Patres ad Silvestrum R. P. Tu, *qui*
majores Diœceses tenes, quia scilicet 7. vel 8. Occidentis Diœceses
obtinebat. 2do Adducunt testimonium S. BASILII, qui (e) concep-
tis verbis R. Episcopum vocat: *Occidentalium Coryphaeum*, id est:
Occidentalis Ecclesiæ Principem. 3to Proferunt in medium authori-
tatem S. Augustini, qui (f) Innocentium Ecclesiæ Occidentalis præ-
sidentem nominat, plura alia argumenta vid. apud DE MARCA (g)
ubi in fine adjungit, quod, *etsi jure Patriarchico in Occidente Epis-*
copi



copi Romani fruerentur, sese ramen Patriarcharum nomine jaclare
 non consueverint, sed auctoritatem suam sola Sedis apostolicæ appell-
 latione explicaverint, item Cap. seq. quod jūs istud Patriarchicum,
 quo Patriarchæ in suis Dioceesis potiebantur, in sua Dioceesi Urbis-
 caria, & in Italica frequentius Episcopus Romanus exercuerit, quām
 in cæteris Occidentis Provinciis. DU PINIUS (*b*) contrariam tuetur
 Sententiam, Romanum scilicet Episcopum in nullas alias Ecclesiæ,
 præterquam in Ecclesiæ Vicariatus ordinario jure potestatem verè
 patriarchicam olim habuisse, id quod præcipuo hoc demonstrat argu-
 mento, Pontificem scilicet Romanum nullibi, quām in solis Ecclesiæ
 Vicariatus Romæ Metropolis, aut Episcopos jure ordinario ordi-
 nasse, quod unum ex præcipuis Jurium patriarchalium, item R. P.
 ex toto Occidente potestate patriarchali Synodus convocasse (quod
 pariter ad jura Patriarcharum spectat) nullibi legi, & sin quando-
 que reperiatur numerosas, imò generales ab eodem convocatas fuisse
 Synodos, jure Primatus, non vero jure Patriarchatus factum fuisse
 assérerit, adeoque ex ultimo non concludi jūs Patriarchicum in totum
 Occidentem fuisse exercitum, Patriarchatum itaque Episcopi Romani
 contendit concludi limitibus provinciarum, que Vicario urbis pare-
 bant, & dici solent Suburbicariæ, de queis plura infra. Ad argu-
 menta in contrarium allegata, & quoad primum responderet esse si-
 mile huic: *P. Romanus majores Occidentis Dioceses tenet, ergo*
omnes, qualiter vero hoc procedit? ad alterum ex Basilio deprop-
 tum: quod, sin per Occidentalis Ecclesiæ Principem is intelligatur,
 qui inter eosdem primus, reliquos honore, ac dignitate præeminet,
 nemo inficias eat hoc sensu R. P. Occidentalis Ecclesiæ fore Princi-
 pem, aliud vero ipsummet judicasse Basilium, sin eo nomine veniat,
 qui totum jure Patriarchatus regerit Occidentem, id ipsud quoque

ad

ad *gremium* ex S. AUGUSTINO allatum, nil scilicet aliud inde concludi, quam R. Episcopum agnatum à S. Augustino ut primum inter Occidentis Episcopos, qua de causa eundem certam quandam in toto Occidentem superinspectionem habere, hocque non ex jure Patriarchatus, sed ex jure Primatus aliunde notissimum, ad alia argumenta Responsiones ibidem vid.

- (a) Lib. r. de Concord. Sacerdot. Cap. 5. (b) P. r. L. r. Cap. 8. (c) Hist. Eccles. Sac. 4. Cap. 5. (d) de an. 314. (e) Epist. Roma. (f) Lib. r. contra Julian. Cap. 4. (g) L. cit. (h) Diff. cit. §. 11.

§. II.

Secundus inter Patriarchas locus primi Ecclesiarum seculis concessus Episcopo Alexandrino ea in Urbe Aegypti, quæ ab Alexandro Magno nomen sortita, quænam extiterit ratio, cur ordine Dignitatis Alexandrinus Antiocheno prælatus, de eo audivimus modo §. III. præced. art. Patriarchatum hunc sese extendisse ex antiqua consuetudine per omnes & singulas Aegypti, Lybia, & Pentapoleos Ecclesiæ constat ex Can. 6. Conc. Nicæni, de quo statim plura. Latius hunc Patriarchatum suos extendisse limites nullibi reperitur, imo constat eum nil quidquam in Africam Occidentalem juris habuisse . . . Tertium Patriarchatus honorem sortitus Episcopus Antiochenus. S. Petrus Evangelio tanto zelo, tantoque fructu promulgato (ut tria cicerter hominum millia ad veram Christi fidem perduxerit) (a) non tantum Judæis, sed & gentibus, utpote communis omnium Pastor annuntiandum esse Evangelium arbitratuſ relata Judea discéderat Antiochiam primariam Orientis urbem, in qua primum Discipuli appellati fuere Christiani (b). Ratiōne, cur Petruslibi præ ceteris Urbibus causa prædicandi Evangelii specialiter selegeret Antiochiam, assignat S. Hieronimus (c) ubi ait: *Palestine Metropolis Cœsa-*

ream





ream esse, &^o totius Orientis Antiochiam, ex qua vel ideo verbum
 Dei facilius propagari poterat in circumiacentes Regiones. BARO-
 NIUS (^d) ex Eusebio ostendere conatur Petrum per septennium Ec-
 clesiarum Antiochenarum præsedisse, id quod tamen (ut ipsemet dicit ibi-
 dem (^e) non sic accipiendum de locali situ, ut nunquam loco motus
 semper eo tempore federit, sed potius auctoritate præfuerit, nec sic
 quidem, ut ejus Civitatis, & Provinciarum ambitu illius potestas fuerit
 circumscripta, sed sic sedisse dicatur, ut apostolica Præfectura, &
 potestate in omnes Ecclesias sibi à Christo collata universum gregem
 gubernaret. Ast, quidquid sit (id quod nostri non est instituti accu-
 rarius examinare) quo modo, quoniam ac quanto tempore Roma &
 Antiochia Petrus federit, nemo in dubium vocare potest Petrum non
 modo Sedem Antiochenam instituisse, sed & in eadem præsedisse, ei-
 que Evodium præfecisse. Patriarchia hæc se extendit per totam
 (in qua quindecim comprehensas Provincias) Diocesin Orientis, haec
 que finiebatur, non enim Antiochenus vel in universam Asiam, vel
 in cæteras Imperii Dioceses, Asianam scilicet, Ponticam, & Thraci-
 cam jus patriarchale unquam obtinuit. Alexander Antiochenus Epis-
 copus attentaverat Sedi suæ vindicare jus ordinandi non solum Me-
 tropolitas, sed etiam reliquos Sedi suæ subiectos Episcopos, deside-
 riūm ejusdem approbavit Innocentius I. ad ejus consulta respondens
 eo tamen exhibito temperamento, quoad Ordinationem Episcoporum
 secundi Gradus, ut Vicinos quidem ad se accersat, longe tamen di-
 stantes in Provinciis consentiat ordinari „cæteros non sine permisso,
 conscientiaque tua finas Episcopos ordinari, in quibus hunc modum
 recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censeas ab iis,
 qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu, vicinos autem, si æsti-
 mas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire“.
 DE

MARCA

MARCA (f). In Conc. tamen Ephesino A.D. 7ima (cum Reginus Constantiae Cytri Episcopus, & alii ejusdem Insulae antistites libellum obtulerant Synodo, quo adversus Antiochenum Episcopum expostrabunt Ordinationes Episcoporum illius Insulae usurpatem, quæ secundum Canones ad Synodum provinciæ spectarent) Ordinatio Episcopi Constantiae, Cytri Metropolitani, tametsi intra limites Patriarchatus Antiocheni contineretur, reliqua est Synodo illius provinciæ, & verita Patriarchæ Antiocheno, insuperque statutum, jus Ordinationum Cyprus Episcopis Canonibus, & veteri consuetudine quæsitum servari debere, ac prohibitum, ne Regionum aliarum Episcopi alienas Provincias invaderent, aut jam occupatas retinerent insuperhabitum Canonibus, ne sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fasces irrepereret, ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit Sanguine suo Dominus Jesus Christus (g).

(a) Act. 2. v. 41.

(b) Act. 2. v. 26.

(c) cont. Joan. Hyerosolim. §. 37.

(d) ad an. 39. §. 21. (e) §. 25. (f) L. 6. Cap. 4. (g) Nat. Alex. Sæc. 5. Cap. 3.

§. III.

Ea, quæ diximus §. ultimo Art. præced. moribus populi, ac Episcoporum primitus introducta, ac in Episcopos Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ translata, ac indies magis, magisque aucta jura, dein lege publica variorum Conciliorum fuere confirmata, ac stabilita, ac primum Can. 6. Nicæno. Canonem ipsum juxta versionem Dionysii exigui (quia in eo difficultates enucleandæ) adducimus „antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter


C

&



& apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter Metropolitanus sententiam fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse, non oppertere. Sin autem communis cunctorum Decreto rationabili, & secundum Ecclesiasticam Regulam comprobato, duo aut tres propter Contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum^a. Canon hic integer dictis Verbis à Dionysio non est relatus, sed, uti animadvertis CABASSUTUS (a) ejusdem initium supplendum tum ex vetustissimo Codice Canonum, quo temporibus Julii P. Ecclesia Romana utebatur, tum ex Act. 16. Conc. Chalcedonensis, tum ex alio perantiquo Canonum Codice à Quesnellio ad fidem trium Manuscriptorum vetustissimorum in lucem publicam emisso, tum &c. in quibus mentio sit Primatus Romani (b). Idem quoque ibidem annotat apud RUFINUM mentionem fieri Provinciarum & Ecclesiistarum Suburbicariarum hisce Verbis: & apud Alexandriam in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel bic Suburbicariarum Ecclesiistarum sollicitudinem gerat. Canon iste (prout vult LAUNOVIUS) (c) occasione Schismatis Meletiani conditus, cum siquidem ex instituto majorum esset receptum, ut Alexander Episcopus per singulas Ægypti, Lybia, & Pentapoleos provincias jure celebrandi sacras Ordinationes gauderet, illudque jus facto Schismate mirum in modum perturbare Meletius non vereretur, visum erat Nicænis Patribus huic malo succurrere edito hoc Can. 6., quo Episcopo Alexandrino, & aliis Metropolitis, antiqua sua jura ac privilegia conservarentur, ac stabilirentur. Cumque (quod planum est ex ipsis Can. Verbis colligere) certa à Patribus instituatur Comparatio Episcopum Romanum inter, & Alexandrinum quoad Ordinationes Episcoporum, Presbyterorum, aliorumque Clericorum,

eorum, ex his, aliquis prælaudatus Theologus evincere studet cit.
 Can. sermonem non institui de juribus Patriarchalibus, sed Metropo-
 politicis, ast, quam infirma argumenta, esto, Canonem fuisse Occa-
 sione Schismatis Meletiani editum, quid inde? indene sequitur solum
 agi de juribus Metropoliticis? Canon dicit in terminis: antiqua Con-
 suetudo servetur per *Egyptum, Lybiam, & Pentapolim*, jus sese
 protendens in plures provincias qui poterit esse simplex jus Metro-
 politicum, cum hoc intra limites unius tantum provinciæ coarcta-
 tum? verum est, non nominatur jus Patriarchicum, at hoc, quid
 mirum? nomina illa: *Patriarcha, Jus patriarchale* tempore Conc.
 Chalcedonensis primum invaluisse audivimus §. I. Art. præced., rem
 ipsam tamen in Ecclesia modo dudum fuisse notam, ac extitisse ante
 Conc. Nicænum, qui poterit negari? alterum ejusdem argumentum
 semetipsum destruit, jus etenim R. Episcopo competens, ordinandi
 Episcopos, si solum ad provincias sue Metropoli subjectas restrictum,
 non autem ad alias, aliis Metropolitis parentes provincias extensum,
 quid hoc ad confirmanda jura Alexandrini in Lybiam & Pentapolim
 faciebat? ad quid dictum per Synodum: *quia & Urbis Romæ Epis-
 copo parilis mos est*, jus illud igitur R. P. ad alias quoque plurium
 Ecclesiæ Metropolitarum provincias sese extendens, ut ergo
 comparatio firmo pede subsistat, Canonem de jure patriarchico loqui
 necesse est. Nec obest, ultimis Can. Verbis: *illud autem generaliter
 clavum est, quod &c.* explicite, ut dicitur, jura Metropolitarum,
 quoad Ordinationes Episcoporum sarta teclaque conservari, ac con-
 firmari, quid enim prohibet, quominus eodem Can. 6. & Patriarchis,
 & Metropolitis sua stabiliantur Jura, ac idipsud, quod quoad jura
 Metropolitarum circa Ordinationes Episcoporum modo statutum Can. 4.,
 denuo confirmetur, ac specialiter præcaveatur, ne per jura quibus-
 dam



dam Sedibus concessa præjudicium Juribus Metropolitanorum infestratur (d).

- (a) In Notit. Eccles. ad hunc Can. (b) vel enuntiative: Ecclesia Romana semper habuit Primatum &c. vel Decretorie; Ecclesia Romana semper habeat Primum. (c) Diff. de resta Intellig. Can. 6. Nic. (d) vid. DE MARCA & Nat. Alex. Diff. 20, Sæc. 4.

§. IV.

Non omnimoda Can., de quo egimus, R. Episcopum inter & Alexandrinum instituta comparatio, sed solum quoad patriarchicam Dignitatem, illique annexa Jura, ad vindicandum scilicet Episcopo Alexand. Jus celebrandi Ordinationes Episcoporum per Ægyptum, Lybiā, & Pentapolim, in Exemplum Patres adduxere Jus patriarchicum R. Episcopi celebrantis Ordinationes Episcoporum & Metropolitanorum per omnes provincias *Suburbicarias*, de Juribus vero pontifici, qua supremo Christi in terris Vicario propriis nedum cogitare, multo minus eadem certis provinciarum Limitibus circumscribere voluere, sit igitur patriarchicam P. potestatem inter Suburbicarias Ecclesiæ fuisse hoc Canone coarctatam, vid. §. I. hoc Art., inde perperam Novatores eruunt Primatum R. P. hoc Can. fuisse eversum (a). Quænam nomine Urbiū, & provinciarum *Suburbicariarum* veniant, & quinam illarum provinciarum Limites, convertitur, quantum ad Ecclesiæ *Suburbicarias* certum easdem provinciis *Suburbicariis* respondere, tota ergo quæstio de Ecclesiæ *Suburbicariarum* Limitibus ex provinciarum *Suburbicariarum* Limitibus pendet, certum pariter provincias *Suburbicarias* alias dici non posse, quam quæ Romam circumjacebant, tota igitur difficultas in assignandis earum Limitibus. VAN ESPEN (b) Regiones *Suburbicarias* nominat, quæ *Vicario*, sive *Præfecto* urbis parebant, alii vero aliter loquuntur, quidam

dam easdem intra centesimum ab Urbe Milliare coarctant, alii vero
easdem ad omnes Provincias, quæ *Urbis Vicario* parebant, proten-
dunt, sed de eo plura vid. apud *DY PINIUM* (c), ex toto *Can. Cognitio-*
textu evidens in ultima parte *Canonis* (d) agi de *Electione Episcopi*,
cui, cum juxta *Disciplinam* illius temporis non tantum *Episcopi*
Comprovinciales, sed & *populus* interveniret, voluit *Canon*, ut *Me-*
tropolitanus *Electionem* probet, si eam *canonice*, sive secundum *Ec-*
clesiasticam *Regulam* factam esse agnoverit ex *communi* & *plurium*
Suffragio, licet duo, vel tres propter *proprias Contentiones*, vel ut
verit *ISIDORUS*: *Animositate ducti per contentionem contradixe-*
rint, hoc est, ut notat *ZONARAS*, *contentionis studio*, non aliqua certa
ratiōne *discrepēnt* (e).

(a) *Vid. Nat. Diff. cit. prop. 2.* (b) *Comment. in Can. J. Vet. & Nov. pag. 110.*

(c) *Diff. cit. §. ult.*

(d) *Sin autem communi cunctorum Decretu Ḡe.*

(e) *VAN ESPEN L. cit.*

§. V.

Hisce tribus (de quibus hucusque) Patriarchis accessere exposit
alii duo Constantinopolitanus scilicet, & Hierosolymitanus, de qui-
bus impresentiarum. Constantinopolitanus Heracleensis in Thracia
ut dictum §. ult. Art. præced.) Metropolitæ ab antea fuerat Suffra-
ganeus, cum vero Imperii sedes, & nova Roma Byzantium evasisset,
Episcopi Byzantini mox Cristas erigere, ac suprema Dignitatum sub-
sellia ambire cœpere, ipsaque urbis Dignitas Episcopo ad majores ho-
nores, ad ampliorem Authoritatem aditum patefecit, resque in Conc.
Constantinop. 381. favore, ac Ope Imperatorum eo deducta, ut *Can.*
3tio fuerit decretum: *Constantinopolitanus Episcopus habeat Primatus*
bonorem post Romanum Episcopum, eo quod sit *NOVA ROMA*
relat. (a) Circa hunc *Can.* quedam Controversia, & primo Emmus

Annal.



Annal. Ecclesiast. Parens (b) commentitium, ac subdititium, nec ab
 Oecumenica Synodo constitutum sundem afferit, rationes, quies ad
 hoc asseverandum motus, ibidem allegat: quomodo verisimile Ti-
 motheum Alexandrinum, in cuius præjudicium istud decretum la-
 tum, adeo mutum extitisse, ut Constantinopolitanum Antislitem sibi
 præferri æquo animo passus fuisset? Anatolius post Synodum Chalce-
 donensem, & in ipsa patriarchica jura sibi arrogans vi Can. 28.,
 r̄mox S. Leonem R. P. sibi acerrime adversantem expertus fuerat,
 quod si ab antea Sedi Constantinopolitanæ id concessum modo à
 Synodo Oecumenica ſda, fatis fuisset Anatolio præsentem laudare
 Canonem, cuius nunquam vel levem faltem habuit rationem, ipſi
 quoque Episcopi anno ſequenti Constantinopolim convenientes, cum
 ſcripferunt Litteras ad Damasum de rebus hoc anno 381. in Synodo
 gestis, nullam penitus habuere iſtius Canonis mentionem, qui, ſin
 fancitus, minime prætermittendus fuisset, accedit, hic Cān. Videtur
 adversari Canoni ſecundo, in quo Dioceses diſtinguuntur, haud igi-
 tur credi valet ab eadem Synodo fuiffe decretum, quoniam enim mo-
 do voluiffet Synodus quibuscumque Provinciis ſua jura integra præ-
 ſervare, ſin tanta in præjudicium aliarum Ecclesiarum contulifſet Ec-
 clesiæ Constantinopolitanæ? Hę BARONII rationes, verum certe tanti
 non videntur ponderis, ut recedendum à Sententia aliorum gravif-
 mis ſuffulta teſtimoniis. V. g. SOCRATIS (c), SOZOMENI (d), imo
 ipſius Conc. Chalced. 28., ut infra videbimus. Ad rationes allatas
 respondere quoque facillimum, ad primam: Undenam conſtat Ti-
 motheum non intercessiſſe, licet hujus non habeatur memoria? aut,
 esto, quod non intercesserit, quid inde? forſitan cauſa, quia Imper-
 rator obſtitit, aut quia ipſem Timotheus æquum ita eſſe, aut non
 magnum ſedi ſuę exinde inferri præjudicium exiſtimabat &c., ad
 quid

duca

quid necesse Canonem 3tium laudari ab Anatolio, cum sufficienter laudatus in Conc. Chalcedonensi, idque optime reserverat S. Leo, & nunquid Anatolium suum hoc Can. defendisse honorem satis notum ex ipsa Epistola Leonis ad eundem, in qua: *Persuasione tuae in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante annos 60, ut jas etas, facta subscriptio . . .?* ad 3tium: Episcopi in sua ad Damascum relatione rationem solum reddunt tum sua fidei, tum Administrationis Ecclesiarum Ordinationis scilicet Nestorii & Flaviani, Canones verò à se Conditos non recensent, & quid miri, quod istius Can. 3. non meminerint Patres, cum scriberant ad P. variis de causis subiratum, cui Can. istum sciebant ingratum, & majoris irae incentivum? ad ultimum: quis dicet Can. contradicere Canoni secundo, cum Episcopo Constantinopolitano non patriarchalis Dignitas, aut Jurisdicō in Dioceses Thracicam, Ponticam, & Asiaticam consert, sed merum honoris confessum, post Romanum Episcopum, servatis insuper singularum Diocesem Privilegiis, cum vero & hoc ipsud sit illud alterum, quod ex hoc Can. controvertitur, ideo paucis probaturi aggredimur, sitque

(a) Distinct. 22. Can. 3. (b) ad an. 381. §. 35 & 36. (c) Lib. 5. Hist. Eccles. Cap. 8. (d) Lib. 7. Cap. 9.

S. VI.

Institutio Sedium patriarchalium, ac Collatio certarum Prærogativarum, ac Jurium punctum solius Disciplinæ, dubitari consequenter nequit, quin ejusmodi Institutio, quin facta cuidam Sedi certarum prærogativarum, ac privilegiorum concessio pro bono Ecclesiæ mutari, ampliari, vel etiam restringi valeat, non obstante igitur Decreto Conc. Nicæni (*ut suis privilegia serventur Ecclesiæ*) aliter poterat in alio disponi Concilio, quidnam in vim Can. præfati Constantino-



tinopolitani concessum Episcopo Constantinopolitano, ut modo dictum,
 controvertitur. NATAL. ALEXANDER (a). Verum jus Patriarchale in
 Dioeceses Thracicam, Ponticam & Asiaticam Episcopo Constantinopo-
 litano adjudicatum autumat, verum cum ESPENIO, aliisque manife-
 stum omnino nobis videtur solum *Honorarium*, sive *bonoris privi-
 legium* post R. P. indultum fuisse Episcopo Constantinopolitano, quem-
 admodum Antistiti Hierosolymitano in vim Canonis 7^{ti} Nicæni:
*quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Ælia Episcopus
 bonoretur, habeat bonoris consequentiam salva Metropolitani pro-
 pria Dignitate*, nonne etenim Canonis verba aperte dicunt: *Constan-
 tinopolitanus Episcopus habeat Primatus bonorem post R. Episco-
 pam?* quidnam aliud hæc verba valent indigitare, quam secundum
 locum post R. Episcopum, quoad concessum honoris? quonam jure
 quispiam dicet Constantinopolitano Antistiti tribui Jurisdictionem in
 tres præfatas Dioeceses, cum in Canone de eisdem altum teneatur si-
 lentium? imo nunquid ipsimet Patres Constantinopolitani Can. 2^{do}
 limites singularum Dioecesium determinant: *juxta Canones Alexan-
 drinus Antistes, quæ sunt in Ægypto, regat solummodo, & Orientis
 Episcopi Orientem tantum gubernent &c.* nunquid indiscrimi-
 natim omnibus omnino Episcopis prohibetur: *ne non vocati Episcopi
 ultra suam Dioecesin accedant propter Ordinationes faciendas, vel
 propter alias Dispensationes Ecclesiasticas &c.*, nonne & hæc pro-
 hibitio stringebat Episcopum Constantinopolitanum? qui igitur hæc
 poterunt combinari Patres quoque eidem Jurisdictionem in Dioce-
 ses Asianam, & Ponticam concessisse? vid. insuper Lex THEODOSII
 AUGUSTI de restituendis Basilicis de anno 381. tertio Kalend. Au-
 gusti (b). Ex factis & attentatis Episcoporum Constantinopolitanorum
 tempore intermedio Conc. Constantinopolitanum inter & Chalcedo-
 nense

mense perperam, ut nobis videtur, NAT. ALEXANDER à posteriori
vult inserre à Patribus Constantinopolitanis Jus patriarchicum in præ-
nominatas Diœceses fuisse adjudicatum. In dictum Can. annotat idem
FLEURI (c) „in hoc Canone conspicitur totius Hierarchiae in Eccle-
sia orientali Geconomia. Primo ponuntur duo Patriarchæ, quo no-
mine posteriori tempore appellati fuere, nempe Alexandrinus, & An-
tiochenus, quorum Jura erant maxime diversa. Episcopus Alexan-
drinus omnibus Ecclesiis Ægypti, comprehensis Ecclesiis Lybiæ, &
Pentapolis prærerat, sed Episcopus Antiochenus quibusdam privilegiis
gaudebat, & Regimen ecclesiasticum Diœcesis Orientalis, cuius ca-
put erat Antiochia, generatim Episcopis Orientis tribuitur, quos in-
ter plures Metropolitani numerabantur. Episcopi Primates aliarum
trium & vastarum Diœcesis Asie, Ponti, & Thraciæ sequenti tem-
pore Exarchæ titulum acceperunt. Asie Primas erat Episcopus Ephe-
sinus, in Ponto Episcopus Cæsareensis in Cappadocia, Thraciæ Pri-
mas haecenius Episcopus Heracleensis fuerat, cuius autoritatem jam
ex tunc nascentis Sedi Constantinopolitanæ splendor opprimebat“.

(a) Diff. 38. in Sæc. 4. (b) apud Fleury Lib. 18. §. 9. (c) L. cit. §. 7.

§. VII.

Etsi, uti §. priori assertum, nulla omnino Patriarchica Jurisdicçio
in vim Can. 3*tii* Antistiti Constantinopolitano collata, ipsem tam
ille Can. Episcopis Constantinopolitanis occasionem suppeditabat, non
solum altiorem honoris gradum, sed & superiorem super cæteros tam
Metropolitas, quam Exarchos arrogandi potestatem, remque paula-
tim eo perduxerunt, ut in Conc. Chalcedon. in dijudicandis causis
Clericorum, vel Episcoporum contra Metropolitas alternativa, vel om-
nino Jus præventionis cum cæteris exarchis attribueretur Can. 9.: Si

D

CHM



cum ipsis Provinciae Metropolitano Episcopus aut Clericas contro-
 versiam habeat, Diœcesis Exarchum adeat, vel Imperialis urbis
 Constantinopolis Thronum, & apud eum litiget, rel. (a) Si quis
 vero putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud Prima-
 tem Diœceos, aut apud Constantinopolitanæ civitatis Sedem agat
 judicium (b). Apertius demum iusta Patriarchatus Constantinopolis-
 tani fundamenta, dum Act. 15. absentibus Sedis apostolicæ legatis,
 summo Patrum consensu editus Can. 28.: Sanctorum Patrum De-
 creta ubique sequentes, & Canonem, qui nuper leitus est 150 Dei
 amantissimorum Episcoporum recensentes, eadem quoque & nos de-
 cernimus, ac statuimus de privilegiis sanctissimæ Ecclesiæ Constan-
 tinopolos Novæ Romæ, etenim antique Romæ Throno quod urbs
 illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt, & eadem consi-
 deratione moti 150 Dei amantissimi Episcopi sanctissimæ Novæ Ro-
 mæ Throno aequalia privilegia tribuerunt . . . ut & Ponticæ, &
 Asiana, & Tbraciæ Diœcesis Metropolitani soli, præterea & Epis-
 copi prædictarum Diœcesium, que sunt inter barbaros, à prædicto
 Throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur. Rite ESPE-
 NIUS (c) adnotat prima parte hujus Can. nudam Canonis Constanti-
 nopolitani confirmationem contineri, & Episcopo Constantinopolitano
 nil aliud concedi, quam merum confessum honoris post R. P., altera
 vero ejusdem Can. parte: ut & Ponticæ, & Asiana, & Tbraciæ
 Diœcesis &c. Episcopo Constantinopolitano attribui privilegia potesta-
 ris & auctoratis in tres specificatas Diœceses &c. BELLARMINUS (d)
 Decretum Concilii Nicæni de honore Sedium patriarchalium à Concilium
 Constantinopolitano, & postea à Chalcedonense sine iusta ratione fuisse
 mutatum sine ullo affirmat scrupulo, hacque de causa Damasum, &
 Leonem illud noluisse approbare, verum, quidquid sit, utrum juste,
 utrum

utrum iusta (cum ad scopum nostrum parum, aut omnino nihil referat, illud pluribus examinare necesse haud erit) Patres Chalcedonenses ita decreverint, optime novimus Legatos Pontificis A.D. 16. de eo fuisse conqueros, novimus quoque Leonem P., nunquam potuisse, ut præsumtum Can. probaret, adduci, ratio hujus non alia, quam quia Decretum illud Canonibus Nicænisi repugnabat. Silentio præterire nescimus verba notata digna Ilmi Petri DE MARCA (e) „Non ergo, inquit, illo nomine Statuta Conc. Chalcedonensis Leo reprobat, quasi nullas habitura essent vires, nisi prius illi collibuisset, sed nullitatem dicti Can. ex repugnantia Can. Nicænorum petitam declarat, magnifico sane, & illustri, Primatus sui, seu Principatus privilegio, sed quod ad superiorem in corpus definitionesque Concilii exerendam autoritatem extendi, & porrigi non debeat. Si enim sit de quæstione aliqua Nicænisi regulis nondum decisâ Synodus Chalcedonensis statuisset, tantum abest, ut Leo Constitutioni illi destitutus vitio nullitatis opponendæ refragatus fuisset, quin potius gestorum synodalium approbatione Concilii sententia ex officio adhæsisset...“ quidquid vero contradixerint Legati pontificii, queiscunque Viribus, ac modis prærogativam Sedis Constantinopolitanae impugnare Romani Pontifices Leo, ejusque Successores, vanæ sine viribus iræ, Privatum tum honoris, tum Patriarchicam in Pontum, Asiam, & Thraciam potestatem Constantinopolitanæ Episcopi retinuere favore & patrocinio Imperatorum, Sancimus, inquit JUSTINIANUS (f) Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum, beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos Nove Romæ secundum babere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Secdem, aliis autem omnibus Sedibus præponatur. Id idem tandem accedente Ecclesiæ universæ consensu in Concilio Lateranensi IV. (g)

Inno-





Innocent. III. ex prudenti œconomia fancivit Can. §. *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes sacra universali Synodo approbante fancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, & Magistra, Constantinopitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate (b).*

- (a) Causa II, q. 1. Can. *Si Clericus*, item Can. 17. (b) Vid. THOMASS. P. I. Lib. 1.
Cap. 10. §. 12., ubi & ratio adducitur, quam natus Anatolius Constantino-
politanus ea extorquebat privilegia. (c) Comment. in Canones. (d) Lib. 2.
de Conc. authorit. Cap. 8. (e) Diff. de Patriarchatus Constantiopol. Insti-
tut. in fine. (f) Nov. 131. Cap. 2. (g) an. 1215. (h) Vid. CA-
BASS. Notit. Eccles. ad Sac. 13.

§. VIII.

Quinta igitur Sedes patriarchalis existebat Ecclesia Hierosolymitana, hæc origine quidam omnium Ecclesiarum mater, ab ipsius Apostolis fundata in ea civitate, quæ ipsius Domini Salvatoris prædicatione, miraculis, morte, & resurrectione decorata ac Spiritus S. in discipulos illapsu commendata &c., non vero dignitate, utpote suffraganea & subjecta Metropoli Cæsareæ Palestinae, quam subjectio-
nem Patres Nicæni Can. VII. confirmarunt sola concessa honoris prærogativa, vid. §. VI. hujus Art., ambigi tamen non potest, quin hæc ipsa honoris prærogativa à Synodo œcumonica speciali Can. con-
cessa multum contulerit, ut facilius successu temporis ad Dignitatem patriarchalem fuerit elevata Ecclesia Hierosolymitana, & quin occa-
sione honoris adjudicati Antistites Hierosolymitani multa sibi vindica-
rint privilegia. Juvenalis Hierosolymorum Episcopus in Conc. Ephes-
sino

fino (a) Primatum, & Principatum totius Syriae Palestinae cum gravi
 Cesareensis Ecclesiae præjudicio occupare attentaverat, in actis qui-
 dem ejus Concilii nulla de eo (ut scribit NAT. ALEXANDER) (b)
 occurrit mentio, diserte vero illud testatur Leo (c) „In Ephesina Sy-
 nodo, inquit, quæ impium Nestorium cum suo dogmate perculit,
 Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palestinae Provinciae Principatum
 credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta
 firmare, quod sanctæ memorie Cyrillus Alexandrinus Episcopus me-
 rito perhorrescens scriptis suis quid predicti cupiditas ausa esset, in-
 dicavit, & sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicita conati-
 bus præberetur assensio“. De hisce attentatis Leonem R. Ecclesiae
 Archidiaconum, postea S. P. commonefecerat Cyrillus Alexandrinus,
 ut patet ex cit. Leonis verbis. Etsi vero in hac Synodo constantissime
 resistente Cyrrillo Juvenalis repulsam fuerit passus, animo tamen
 non cecidit, nec omnem abjecit spem, rescriptum impetravit à Theo-
 dosio Imperatore, quo trium Palestinianarum, duarum Phœniciarum,
 & Arabia administratio ipsi fuit concredita, obtinuit & contraria re-
 scripta Antiochenus Episcopus. Post diuturna Antiochenum inter &
 Jerosolymitanum Præfulem dissidia tandem in Conc. Chalcedonensi
 A.D. 7tima ita conventum, ut Antiochenæ Dicēcesi duæ Phœnicia,
 & Arabia adjudicentur, tres vero Palestinæ Hierosolymorum Episcopo
 subditæ essent. Hanc conventionem Synodus probavit, ac roboravit
 pro bono pacis, eamque quoque glorioſissimi Judices auctoritate sibi
 a Marciano Imperatore demandata confirmarunt missis in irritum re-
 scriptis ab utraque parte impetratis, cesserantibus, inquiunt, secundum
 iussionem divinissimi, & piissimi Principis omnibus pragmaticis, &
 quocunque modo sacris ab utraque parte litteris impetratis, infu-
 per & mutatione, que in eis hujus rei causa noscitur contineri. Ex-

inde



inde 5. Sedes patriarchales recenseri cōpere, & quidem hoc ordine:
Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochera, & Hierosolymitana, in Conciliorum Oecumenicorum Sessionibus, & subscriptionibus, in legibus Justiniani Imperatoris, in epistolis Gregorii M. quintus inter Patriarchas locus ubivis tribuitur Episcopo Hierosolymitano &c., atque hæc quoad ortum & progressum Patriarchatum *majorum* dicta sunt, eis, quæ circa originem & progressum Patriarchatum *minorum* differenda forent, ne prolixiores simus, superfedemus, & progredimur ad Patriarcharum Jura & Privilegia.

(a) 431. (b) Hist. Eccles. Sac. 5. (c) In Epist. 62. ad Max. Antioch. Episcop.

ARTICULUS UNICUS.

*De communib[us] Juribus, & Patriarcharum Privilegiis,
et eorumque Officiis.*

§. UNICUS.

Vnsignia, quæ olim Patriarchis vindicata, fuere jura, ac privilegia, inter ea præcipuum existebat, jus, vel per se, vel per suos Legatos ordinandi Metropolis suarum Ditionum, aut etiam alios Episcopos. „In aliis Diœcesibus Patriarcharum potestas in omnium Metropolitanorum, qui eis subiecti erant, ordinatione seu confirmatione conspiciebatur . . .“ BINGHAM (a) Ipsum Patriarcham Romanum Jus non modo Metropolitanas, sed & omnes Episcopos provinciarum suburbicariarum ordinandi sibi vindicasse, ac quoque exercuisse de eo nullus dubitandi locus, utrum vero ad Ordinationem Episcoporum, ac Metropolitanorum extra Vicariatus Romæ limites idem jus se extenderit, hoc ambiguum, vid. §. primus Art. præced, Concilium Chalcedonense Art. 15. Episcopo Constantinopolitano (ut dictum §. VII.

Art.

Art. præced.) una cum Patriarchatu concessit facultatem ordinandi Metropolis Diœceseos Ponticæ, Asianæ, & Thracicæ, item Episcopos Ecclesiarum Barbararum, similiter Conc. Nicænum Can. 6. Patriarchæ Alexandrino antiquum jus celebrandi Ordinationes per Aegyptum, Lybiam & Pentapolim stabilivit, atque confirmavit, vid. §. III.
 Art. 2di. Antiochenum quoque semper potestate ordinandi Metropolis gavistum fuisse constat ex Epistola Innoc. I. (b) in qua: *arbitramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanos potestate ordinas singulari, sic & ceteros . . .* §. VII. Art. 2di. Jus ordinandi Metropolis intra tres Palestinas Presuli Hierosolymitano vindicatum Act. 7tima Conc. Chalcedonensis, vid. §. ult. Art. præced., recte igitur diximus unum è præcipuis Juribus Patriarcharum extitisse jus per universam Diœcesin ordinandi Metropolis. Alterum jus convocandi concilia, ad eaque vocandi omnes sibi subjectos Episcopos, Metropolis, Primates. Potestatem habebant Patriarchæ Metropolitanos & omnes Episcopos suos ad Synodum Diœcesis evocandi, quod privilegium eodem fundatum erat Canone, qui Metropolitanis Provinciales cogendi Synodos, in iisque præsidendi autoritatem dederat, quam enim Metropolitani habebant potestatem in Episcopos suos Provinciales, eandem in Metropolitanos habebant Patriarchæ (c). In diëis Conciliis statuta firmabantur, novæ sanctiones pro Ecclesiarum necessitate, ac utilitate edebantur, decidebantur causæ majores, ac Metropolitanarum, à Metropolitanarum sententia provocari poterat ad sacram Tribunal patriarchale, in eoque Episcopis, Presbyteris, aliisque Clericis causas suas agere licitum (d). Plura de Patriarcharum privilegiis videantur §. cit. & seqq. Insuper non minima officii Patriarchalis pars procurare, ac conservare unitatem fidei, ac doctrinæ, in cuius signum post suam ordinationem mox ad invicem mittebant,

litteras





litteras *communicatorias* non communionis tantum, sed & fidei ~~ca-~~
 tholicæ testificatrices, ut docet GREGOR. M. (e) Hinc est enim, ut
 quoties in quatuor præcipuis Sedibus antiſtites ordinantur, Synodales
 sibi epistolæ vicissim mittant, in quibus se ſanctam Chalcedonensem
 Synodum cum aliis generalibus Synodis cuſtodire fateantur. Cum
 iſtis literis non confundendæ litteræ formatae, *communicatoriae* quo-
 que dictæ, qua ab Episcopis concedebantur subditis peregre profici-
 centibus, ut quocunque tendebant, in communionem fidelium admitten-
 terentur, ac hospitio exciperentur, quorum collimant, qua ad Gaium
 scribit S. Joan. Apost. (f) „Charifſime! fideliter facis, quidquid ope-
 raris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt
 charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos benefaciens deduces digne
 Deo, pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à genti-
 bus. Nos ergo debemus fuscipere hujusmodi, ut cooperatores ſimus
 veritatis, ſcripſilem forſitan Ecclesiæ Sedis, qui amat Primatum ge-
 rere in eis, Diotraphes, non recipit nos . . . neque ipſe fuscip frat-
 res, & eos qui fuscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit“⁴⁴. Sua in-
 vicem Patriarchæ nomina recitabant in ſacris Diptychis, quamdiu
 uno stringebantur vinculo fidei, & communionis catholicæ, etiam
 post mottem alicuius, & tamdiu, donec à Successore allatae eſſent
 præfatae litteræ *communionis*. Incidenter hic obſervamus: ſemper in
 Ecclesia ſolitum quidem fuit pro omnibus Christi fidelibus inter ſacra
 ministeria preces ad Deum fundere communes, ſed præterea ſpeciales
 Deo offerebantur preces pro certis quibusdam hominibus, tum vi-
 ventibus, tum vita functis, quorum nomina ex ſcripto per Diaconos
 pronuntiabantur inter ſacra ministeria, pro Imperatoribus & Regibus,
 pro S. Pontifice, pro Epifcopo loci, pro Patriarchis ſibi invicem hoc
 genere officii gratificantibus, pro illis Christi fidelibus, qui munera

&

& oblationes ad rem sacram, ac divinum cultum contulerant, ex altera charta, quæ nomina defunctorum referebat, pariter ex ambone ad aliquod tempus recitabantur homines vel Principatu temporali, vel Dignitate Patriarchali, aut Episcopali pridem spectabiles &c., unde Diptycha, quæ nil aliud, quam catalogi, quibus inserta celebrium virorum nomina, duplicitis generis, *vivorum scilicet & mortuorum*. Hujusce ritus, simulque gratitudinis plurima invenimus monumenta, ut in Conc. Emeritenſi (g). Legimus quoque graves de eo inter Ecclesiās nonnunquam exortas fuisse concertationes, aliis quorundam insignium dignitate virorum memoriam colentibus, aliis ex adverso damnantibus, aliis nomina quorundam Patriarcharum sacris Diptychis inferentibus, aliis eadem ex eisdem expungentibus.

- (a) Orig. Ecclesiast. Lib. 2. Cap. 17. §. 12. (b) ad Alexand. Antioch. Episcop.
 (c) Bingham ibidem §. 13. (d) Nov. 123, Cap. 22 & 23. (e) Lib. 7.
 Epist. 54. (f) Epist. 3. (g) de an. 666. Can. 18.

C A P U T A L T E R U M.

*Exponuntur Origo, Officium, Potestas Primitatum
 ac Metropolitarum.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Nominis, Institutione Primitatum, ac eorundem Jurisdictione.

§. I.

Quantum Etymologiam nominis concernit, *Primas* generatim is dicitur, qui primum, ac præcipuum obtinet locum, unde sicut in Republica civili primas tenentes partes, *Primates* dici solebant, ut *Primates urbium*, *Primates castellarum*, *Primates ordinum*, ita quoque in Hierarchia Ecclesiastica *Episcopi Principem* tenentes locum,

E

ac



ac Concilio provinciae suæ præsidentes ad significandam eorum præ aliis prærogativam, Primates dici consuevere, sic dicitur Can. Apost. (a): *Cujusvis gentis Episcopos oportet scire, quinam inter ipsos primus sit, babereque ipsum quodammodo pro capite, neque sine illius voluntate quidquam agere insolitum.* Nomen illud in Ecclesia usum frequentissimum habuit, simul quoque tractu temporis diversissimam obtinuit significationem. In Conc. Nicæno Can. 6. Patriarchæ Antiochenus & Alexandrinus simpliciter dicti Metropolite, ipsi Metropolite omnes primis quinque sæculis dicebantur Primates, & primæ sedis Episcopi, & ipsum jus Metropoliticum Primatus appellabatur (b), sic Conc. Carthag. II. (c) staturum: *Placait omnibus, ut inconsulto Primate (Metropolitano) cuiuslibet provinciæ tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quoconque loco sine ejus, ut dictum est, præcepto Episcopum ordinare.* Similiter in Conc. Taurinensi (d) illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis, & Vienensis, qui de Primatus apud nos honore certabant, à sancta Synodo definitum, ut, qui ex eis probaverit civitatem suam esse Metropolim, is totius provinciæ Primatum obtineat, ubi Metropolitica dignitas Primatus denominatur, & is Episcopus præ aliis gaudet prærogativa, qui eam obriner civitatem, quæ postea mutata, sæculis namque posterioribus Primas à Metropolitano cœpit distingui, huncque titulum sibi arrogarunt illi Metropolitæ, qui illustrioribus sedibus cum aliqua honoris, & authoritatis prærogativa præsidebant. In Africanis ecclesiis Primas erat senior Episcopus, & hinc dignitas Primalis nulli erat sedi affixa, sed ubi residebat Episcopus senior, ceteros tempore Ordinationis præcedens, ibi quoque sedes Primalis, inde animadvertis illius DE MARCA (e), licet ex sex Provinciis.

ex

ex quibus Africana Dioecesis constabat, duæ Mauritanæ, Numidæ, Byzacena, & Tripolitana sua quæque Metropoli in ordine Imperii non carerent, prima tamen Sedes ecclesiastica, non erat illi addicta, sed Episcopum seniorem sequebatur. Solius Carthaginensis prærogativa id obtinuerat, ut illius civitatis Episcopum, ut Primatem, & Caput reliquarum provinciarum reliqui venerarentur Episcopi, convocabat illa plenaria totius Africæ Concilia, iisque praesidebat, ex omnibus Africæ Ecclesiæ Presbyteros assiduebat, quos Episcopos, ubi opus erat, ordinaret, dispensationes majoris momenti per totam Africam concedebat Primas Carthaginensis &c. (f) alius vero in aliis provinciis orbis usus, in iis siquidem Primatus affixus urbi Metropoli, id est: quæ urbium mater in ordine civili habebatur, atque ita ille erat Primas provinciæ, qui erat Episcopus urbis Metropolitæ, idem titulus quoque attributus quibusdam Episcopis, qui Ecclesiæ matricibus singulari quadam honoris prærogativa conspicuis erant præfecti, hac ratione Episcopo Jerosolymitano Primatus honoris præ reliquis provinciæ Cœfarensis Episcopis à Conc. Nicæo Can. 7. concessus, & confirmatus, de quo supra.

(a) 33. (b) Thomass. P. I. Lib. 1. Cap. 30. N. 3. (c) de anno 390. Can. 12.
 (d) de an. juxta quosdam 400. Can. 2. (e) Diff. de Primat. (f) NAT.
 Alex. Sæc. 4. Cap. 5.

§. II.

Triplex ergo generis olim recensabantur Primates, sed non nisi honorarii, quales omnes illi, qui dignitatem Primatelem vel ex senioratu, vel ab urbe Metropoli, vel à nobilitate Ecclesiæ suæ mutabant; his Sæc. VII & VIII. accedebant nonnulli allii Metropolitani, qui inferioris ordinis Primates audiebant, illi scilicet, quibus nulli quidem Metropolitani subjiciebantur, ac parebant, sed ne illi vicissim



vicissim ullum supra se agnoscebant, sive Metropolitanum superius
 rem, sive Primatem, utpote immediate à S. P. dependentes, à quo
 uno leges acciperent. Hoc genus Primum exponit HINCMARUS (a)
 „quibus canonum decretis, & sedis Romanæ sententiis claret, eos
 dem Metropolitanos Primates esse singulos singularum provincialium,
 qui ex antiqua consuetudine & apostolica traditione, & convocare
 Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à provincialibus sine
 cuiusquam alterius Primitatis interrogatione possunt, & disponere re-
 gulariter quæque per suas provincias queunt &c. Illi autem Archi-
 episcopi, vel Metropolitani, qui hæc sine consulto Primitatis non pos-
 sunt exequi, Archiepiscopi tantum, vel Metropolitani habentur“ in
 hæc HINCARI Verba scribit ibidem THOMASS. (b) „Quinto, sexto,
 septimoque saeculo cœperunt in Occidente Metropolitani quidam Me-
 tropolitanis aliis subjici, qui ad Exarchorum Vicariorumque Aposto-
 licorum dignitatem proiecti fuerant, quibus tandem & Primum
 nomen additum est. Ergo Metropolitani, qui recentioribus hisce
 Primitibus nunquam subiecti fuere, non immerito arrogabant & ipsi
 sibi Primum nomen, 1. Quod nihil aliud ea in re, quam antiquum
 nomen, usumque retinerent 2. quod nullis suis rebus immutatis,
 nullo de novo siti præstituto Primate (cum nemini nisi Papæ esset
 subiecti) peræque, ut recentissimi hi Primates non injury Primates
 dici, & nominis gloris frui volebant. 3. Quod multi eorum habe-
 rent prærogativam palli, ut Rotomagenis, Remensis, ac Lenonensis,
 quod solum Primitibus, ac Vicariis sedis apostolicae conferri haes-
 tenuerunt, non vero Metropolitanis, cuiusdam Primi obnoxii“
 de hoc vid. DE MARCA (c). Nova, ab antea in Ecclesia inaudita
 post editam ISIDORI Collectionem invaluit Primum species, illorum
 scilicet, qui non solum honoris præminentia, sed & ampliori in alios

Episco-

Episcopos Metropolitanos potirentur potestate, ac jurisdictione, quae
rum Origo non aliunde, nisi ex pseudo-epistolis veterum Pontificum
eidem compilationi insertis derivanda, ut v. g. ex Epist. Anacleti
ad Episcopos Italiæ, in qua: *In civitatibus, vel locis nostris Pa-*
triarchas vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa
sunt nomina, Leges, divinae & ecclesiastice ponit, & esse jusservunt,
ad quos Episcopi, si necesse fuerit, con fugerent, eosque appellarent,
& ipsi Primatum nomine fruerentur, & non alii (d) . . . Simi-
liter decretali Aniceti ad Episcopos Galliæ: Nulli Archiepiscopi Pri-
mates vocantur, nisi illi, qui primas tenent civitates, quarum Epis-
copos Apostoli, & Successores Apostolorum regulariter Patriarchas
& Primates esse constituerunt . . . reliqui vero, qui alias Metro-
politanae sedes adepti sunt, non Primates, sed Metropolitani nomi-
nentur (e). Pluribus Metropolitanis, utpote apostolicæ sedis Vicariis,
ac delegatis dignitatem Primatus eō modo obtigisse e. g. Metropoli-
tano Thessalonicensi, in Galliis Arelatensi, in Hispania Hispalensi &c.
plura perhibent antiquitatis monumenta. Earundem decretalium auto-
ritate S. Pontifices jus sibi arrogarunt Ecclesiæ particulares erigendi
in Ecclesiæ Primatales cum potestate & jurisdictione supra alias Me-
tropolitanae, Gregorius VII. in litteris (quibus Ecclesiæ Lugdunen-
sem erigit in Primitalem, eidem subjiciendo Ecclesiæ Lenonensem,
Turonensem, & Rothomagensem) expresse profitetur se imitari de-
siderare antiqua sanctorum Patrum vestigia, ESPENIUS (f) exinde
obliviat Gregorium in dictis verbis reflexisse ad falsum decretalem
Clementis I. (g): *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethni-*
cos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant, Episco-
porum Primates ponit, vel Patriarchas B. Petrus præcepit, qui re-
liquorum Episcoporum causas, & majora, quoties necesse foret, ne-

gotia



gotia in fide agitarent. Ad eit. decretalem Aniceti reflexisse que-
que videtur Carolus M. dum (b) hanc in rem edidit constitutionem:
*Ne alii Metropolitani appellantur Primates, nisi illi, qui primas
sedes tenent, & quos sancti Patres synodali & apostolica authori-
tate Primates esse decreverunt.*

- (a) apud THOMAS. L. cit. Cap. 31. N. 3. (b) Nro 4. (c) Diff. cit. N. 52, abi
de concessione Pallii Archiepiscopo Bituricensi per Hadrianum I. (d) Diff. 99,
Can. 1. (e) ibidem Can. 2. (f) J. Ecclesiast. univ. p. 1. tit. 19. Cap. 2.
(g) Fragmentum ejusdem apud Gratianum Diff. 80, Can. 2. (h) Lib. 7,
Cap. 336.

§. III.

Pro dignoscendis Primatum juribus juvat distingueere, confor-
miter dictis §. priori inter Primates antiquos mere *honorarios*, qui
in effectu nil aliud, quam Metropolitæ sola honoris præminentia
fulgentes, & inter Primates *vere tales*, priorum jura, excipiendum
Jus confessus, & dignioris sedis, non alia, quam Metropolitarum,
de quibus plura Art. seq. posteriorum jura olim admodum insignia,
magis tamen vel minus extensa, ac restricta pro arbitrio sumimorum
Pontificum, quos in vim falsarum Decretalium jus instituendi Prima-
tes sibi reservasse vidimus, hincque sibi arrogarunt potestatem eorum-
dem jura limitandi, ac ampliandi. In Compendio eadem jura recen-
set Leo P. (a), docet enim ejus esse muneris: 1. ut Episcopos, ac
Metropolitanos electos antea confirmet, quam ordinentur, 2. ut lites
dirimat, quæ in Concilio provinciali decidi nequierint, sin vero
neque in Synodo majore sub præsentia Primate potuerint definiri,
consulendam esse Sedem apostolicam edocet, *ut enim, inquit Leo,*
authoritatem tuam vice nostra exercere te volumus, ita nobis, que
illuc componi non potuerint, reservamus. 3. Concilium nationale ex
toto

totu^r Exarchatu^m convocet. 4. Curer, ut per omnes dictionis sua Ecclesias discipline ecclesiasticae leges sanctissime, & quam diligentissime obseruentur, si, cui malo mederi non possit, Pontificem admoneat.
 §. Denique Metropolitanis, Episcopis, ceterisque Clericis, qui patria sua exire, & Ecclesiis suis abesse volent, formatas der, seu communicatorias litteras (b), DU^m PINTUS (c) jura Vicariis, ac Primitibus per Summos P. concessa semper tempore creuisse ex litteris Pontificium ostendit, totamque Primatus potestatem Episcopis Gallicanis collatam ad 4. aut 5. revocat Capita I. est formatarum tribuendarum. 2. Convocandi Concilii dioecesani. 3. Referendi ad P. de causis majoribus. 4. Cavendi, ut Canones observarentur, fidesque illibata manerer. Quibus 5. denique additum est posterioribus saeculis jus appellationum à Metropolitanorum sententiis. Quod attinet jus ordinandi Metropolitas, id ipsud Primitibus, aut Vicariis, in Gallia nunquam suisse adjudicatum affirmat, id quod notaru dignum pro dictis §. 1. Art. 2di, Cap. 1. Profixiori horum iurium enucleationi supersedemus, usus eorundem siquidem hodieum insolens & rarissimus (d), pauca solum adhescimus de litteris formatis. Perantiquam in Ecclesia extitisse praxin litterarum formatarum aperte evincitur ex Can. 57. Illibertano: placuit, ut ubique, & maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant, & suo testimonio comprobent. Cum etenim periculum erat, ne Christi fideles per nebulones, aut hereticos deciperentur, laicis fidelibus, ac clericis in aliam diocesin commigraturis litteræ sic dictæ: formatæ concedebantur, ut reciperentur in communionem &c., ut dictum §. ult. Cap. præced. Verum, quia successu temporis experientia edocuit tum hereticos, tum ex gentilibus impostores eisdem litteris

tis





ris abuti in præjudicium Christi fidelium, hinc Patribus in Nicæna synodo congregatis, eisdem certam præscribere formam (uti plurimorum opinio) bene visum, de quo latius legi meretur du MENSIL (e).

- (a) In Epist. 8. Cap. 6. ad Anastasium Theffalon. Episcep. (b) Plura vid. apud
DE MARCA Lib. 5. Cap. 26 & 27. (c) Diff. cit. §. 10. (d) RAUTEN-
STRAUCH Instit. J. Eccles. germ. Sect. 2. Cap. 8. §. 355. „rationem affinat,
quia Synodi nationales ferme deferunt, Pontifices plerasque causas majores
sibi reservarunt, & ipsi Metropolitanæ Primate jura suspicere designantur, ut
adeo præter titulum vix quidquam habeant præcipui“. (e) ad an. 306,
b. 2. §. 4.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ortu, Privilegiis, ac Juribus Metropolitanarum.

§. I.

Primitibus quoad honoris, ac jurium proedriam in Hierarchia ecclesiastica proxime accedunt Metropolitanæ. Omni caret dubio Metropolitanos sic dictos fuisse à Metropoli, quidnam vero hoc illud vocabulum: Metropolis significet, & undenam sit derivatum, controversum, verosimilius, ac communiter dicitur significare *urbem matrem* hoc sensu: quod sit urbs prima, præcipua, ac reliquarum quasi mater, sic ab Athanasio (a) Urbs Roma totius Romanie id est; Imperii Metropolis, seu urbs prima, ac præcipua, totius Imperii Caput vocatur, idem dicendum de aliis quibusdam Urbibus. Quoniam vero in unaquaque provincia urbs aliqua inter cæteras eminenſis reperiebatur, hæc dicta est Metropolis, ac inde Episcopus, qui hujusmodi urbi præpositus, dicitur Metropolitanus, qui quibusdam juri.

juribus, ac prærogativis præ aliis, ac in alios fruitur Episcopos.
Primum omnium (inquit THOMASS.) (b) *Metropolite nomen accessit*
Episcopali aptissimum designando ejus urbis Episcopum, quæ esset
 secundum civilem Imperatorum ordinationem totius provinciæ Me-
 tropolis, ac Caput . . . dicto in sensu ea vox in Conc. Nicæno ad-
 hibita (c). *Eorum autem, quæ sunt, confirmationem in unaquaque*
provincia à Metropolitano fieri. Post synodum Nicænam eodem in
 sensu eadem vox sepius occurrit tum in synodorum decretis, tum
 in scriptorum ecclesiasticorum monumentis, ab antea vero vox ista
 ignota, quanquam Metropolitas quoad rem ipsam modo extitisse in
 dubium vocari nequeat, cum idipsum ex Can. 6. (d) eruatur. Quod
 in antecedentibus diximus de Primitibus, extitisse scilicet mere ho-
 norarios, id idem quoque afferendum de Metropolitanis, ita e. g.
 in Conc. Chalced. (e) statutum, ut auctoritatem Metropolitanani inter
 Ecclesias provinciæ Bythinæ Nicomediensis Episcopus obtineret, Ni-
 cæno habente solummodo honorem Metropolitanani, subjacente ad ex-
 emplum aliorum Episcoporum provinciæ Nicomedensis antistiti Ni-
 comedensi. Secundum pristinam igitur Ecclesiæ disciplinam iste Epis-
 coporum (ut diximus) Metropolita singularibus fruens privilegiis,
 ac prærogativis, qui primariæ cuidam, ac præcipue cujusdam pro-
 vinciæ civitati præfectus, longe aliter vero secundum hodiernum Ec-
 clesiæ statum differendum, labentibus siquidem seculis Metropoles
 ecclesiasticæ paulatim à Metropoli civili disjungi cœpere, ac pro ne-
 cessitate, ac utilitate Ecclesiæ universalis quedam alia, que oppor-
 tiores videbantur Ecclesiæ, à S. Pontifice cum consensu Domini ter-
 ritorialis (f) item suffraganeorum, aliorumque interesse habentium
 in Metropoliticas fuere erectæ, hinc hodieum nomine Metropolitan-
 rum veniunt omnes, & soli illi Episcopi, cuicunque urbi præfici,

F

qui



qui provincie, & aliis in provincia constitutis jure Metropolitico prae-
funt Episcopis.

- (a) In Epist. ad solit. (b) p. 1. Lib. 1. Cap. 3. N. 2. (c) Can. 4. (d) Ni-
cæni Conc. (e) Act. 13. (f) Consensum Principis necessariò hic inter-
venire debere, pluribus exemplis demonstrat VAN ESPEN J. Ecclesiast. univ.
p. 1. tit. 19. Intervenire quoque debere consensum eorum Praelatorum, quo-
rum juri & ditioni perinde detruncandum aliquid est, quod alii accedat, re-
gulis canonici & æquitati maxime consentaneum afferit RAUTTENSTRAUß
L. cit. §. 362., imo consensum Regum, in quorum ditionibus nova erigenda
Metropolis, adeo necessarium, ut, nisi illi hoc flagitent, Pontifices ne soleant
quidem ad novas erigendas Ecclesiæ Metropoles animum adjicere, exemplis
confirmat.

§. II.

Quos à tempore Conc. Nicæni diximus nominatos fuisse Metro-
politas, primum sequioribus Ecclesiæ sœculis honorifico nomine *Archie-
episcoporum* reperimus fuisse condecoratos, nomen hoc primis sœcu-
lis rarissimè usurpatum occurrit, & nonnisi eximiis quibusdam, ac
primis Episcopis hinc inde impositum legitur, Sæculo V. autem vox
ista incœpit esse usitator, ac in Conc. Ephesino Cœlestinus R. P.,
ac sepissime Cyrillus Alexandrinus, in Conc. Chalcedonensi Leo R. P.
hoc titulo Archiepiscopi honorantur &c., Patriarchæ itidem Exarchi,
& postea Primates, qui alios sub se habebant Metropolis ad Sæcu-
lum VI. usque appellati fuere Archiepiscopi, à Sæculo VI. usque
ad VIII. aliis insignibus Metropolitis, ut Tyrio, Nicopolitano, Co-
rinthio, Ravennatensi &c. nomen illud attributum invenitur, postea
vero nomen illud promiscue cepit usurpari de omnibus omnino Me-
tropolitis, imo de quibusdam simplicibus Episcopis, qui Metropo-
litarum juribus minime fruebantur. THOMASS. (a) de Metropolita-
nis Gallorum testis est, eosdem labente Sæculo VIII. in Concilio
Suessionensi passim omnes nomine Archiepiscopi fuisse donatos, ac

una

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

una cum isto nomine communicatum fuisse pallium. Omnia, quæ quantum ad originem dignitatum patriarchalium sat prolixè Art. I. Cap. I. allata, ac discussa fuere, ea omnia hic quoque, quoad ortum, ac institutionem dignitatum Metropoliticarum recapitulanda vénisunt; pauca solum dictis superaddere intendimus. Institutionem dignitatis Metropolitanæ in Ecclesia antiquissimam esse sua sponte ex dictis §. priori fluit, evidenter siquidem elucescit Conc. Nicenum Can. cit. (idem dicendum de Can. VI. & VII.) ipsam Metropolitanorum institutionem ab antiquo factam supponere, undenam vero hæc institutio repetenda, non parum obscurum, ut diversas in eo diversorum scriptorum esse sententias, nullatenus mirandum, quod vero quidam contendunt Metropolitanos scilicet, eorumque super alios Episcopos prærogativas ab Apostolis originem accepisse, omni caret probabilitate, decreta Conc. Niceni evincunt quidem (quod modo dictum) institutionem Metropolitanorum, horumque super alios Episcopos prærogativas hanc Synodum antecessisse, sed ipsos Apostolos, in quibusdam civitatibus scilicet Metropolibus Episcopos instituisse cum quadam superioritate supra alios ejusdem provinciarum nullatenus evincunt, imo contrarium potius indigitant dictam nimirum superioritatem, ac Metropolitanorum jura ex consuetudine, ac antiquis moribus esse definienda (b). Sola quoque eminentia Metropoleon civilium talis, ac tanta non erat, ut hæc sola Episcopis illarum civitatum in alios Episcopos autoritatem, ac quandam superioritatem conferret, alia ideoque adminicula concurrisse necesse fuit, quæ quosdam Episcopos supra alios paulatim elevarunt, eisdemque alios subjecerunt, undenam vero hæc repetenda, nisi, cum occasione variarum scissionum, schismatum, ac controversiarum inter ipsos Episcopos subortarum, ac subordinarum necesse erat quosdam constituere judices, qui ampliori causas



causas inter ipsos Episcopos controversas decidendi, ac dirimendi gauderent potestate, cum vero Episcopi urbium Metropolitanarum aliunde duplice præ alii Episcopis præfulgerent præminentia, tum à dignitate suarum Ecclesiarum, quibus erant præpositi, tum à dignitate civitatum, in quibus erant Episcopi, derivata, amplior ista potestas ac jurisdictio in neminem Episcoporum majori convenientia ac jure transferri potuit, quam in prælatos Episcopos, sive moribus Cleri, ac populi jura Metropolitarum successive primitus introducta, quæ dein lege stabili conciliarum fuere confirmata (c), ut supra dictum de patriarchis.

- (a) P. 1. Lib. 1. Cap. 30. item Lib. 2. Cap. 55. (b) Joannes Georg. Verteichens Jcti Kirchen-Histori, viertes Jahrhundert, viertes Hauptstück: von den Metropolitanen und Patriarchen, §. 2. „Viele seien waren in den Gedanken, daß schon die Apostolen einige Bischöfe andren vorgegeben, um die sogenannten Metropolitanen gesetzt hätten. Daß aber solch Meynung nicht zu behaupten siehe, habe schon anderswärts gezeigt. (vid. ejusdem Cap. 10. Sect. 4. §. 18. & seqq. ad Sæc. 1. item ad Sæc. 2. Cap. 5. §. 18. & seqq.) Diejenige irren aber auch gewalig, welche meinen, das Nicænische Concilium habe dieselbe erst eingeführet. Denn diesjenige Macht, welche solches Concilium dem Bischof zu Alexandria zugeeignet, hat er schon vor denselben gehabt. Das gedachte Concilium, da es von denen Vorzügen der Bischöfen zu Rom, Alexandria, und Antiochia redet, beruhet sich ausdrücklich nur nicht auf einen apostolischen Ursprung, doch auf die alte Gewohnheit. Die dafelbst versammelte Bischöfe, da sie gleich darauf melden: der Bischof zu Jerusalem seye in sonderbaren Ehren zu halten, gedachten andey, daß dieser Vorzug dem Metropolitan, nämlich dem Bischof zu Cæsarea in seinen Rechten nunachtheilig seyn sollte. Also waren so dieses Bischofs Gerechtsame, als des zu Jerusalem seine älter, als das Concilium“. (c) Laur. Mosheimius Instit. Hist. Ecclesiast. Sæc. 2. p. 2. Cap. 2. inde invaluisse jura Metropolitanorum autumat, quod scilicet, eum per introducta Concilia, ea, quæ primis temporibus obtinebat summa Episcoporum omnium paritas & æqualitas, pedetentim fuerat sublata, quod inquam necesse fuerit, ut uni ex Episcopis provinciæ, qui foedera juncti erant, potestatis & juris aliquid supra ceteros in conventibus istis trahueretur, ex quo jam enata jura Metropolitanorum.

§. III.

Antiqua Metropolitarum jura certo fuere amplissima, & tanto insigniora, quanto antiquioribus S.S. Canonum decretis, & variorum Conciliorum sanctis fuere communita, ac roborata. Principem inter eadem locum obtinebat potestas praesidendi electionibus omnium Episcoporum provincialium, easdem dirigendi, & confirmandi, electos, ac confirmatos vel per se, vel per alios ad id munus specialiter delegatos ordinandi, quam potestatem Metropolitæ absque ulla contradictione, atque perturbatione liberrime semper per continuum plurium saeculorum decursum exercuerunt. Neminem, qui vel à limine salutavit historiam ecclesiasticam, latere poterit, primis Ecclesiæ saeculis jus eligendi Episcopos residisse penes Metropolitam, Episcopos Comprovinciales, Clerum, & populum in unum congregatos, cuius disciplina non alia ratio, quam, cum Episcopus esset pastor communis Cleri, ac populi, ut promptior, ac insimul fidelior eidem à subditis exhiberetur obedientia, ne invitis pastor ingratus obtruderetur, una cum Clero populus quoque ad electionem convocabatur, ut loquitur Cœlestinus (a) nemini pariter, nisi in historia veluti peregrinus in Israel, erit ignotum non obstante populi cursu præcipuas in electionibus Episcoporum partes habuisse Metropolitanum, ac Episcopos Comprovinciales, & si contingenteret, quod populus passione aliqua præventus, aut quadam circumventus ignorantia inidoneum quandam elegisset, aut postulastet, Metropolitani, ac aliorum Episcoporum munus erat, electum, vel postulatum repellere, docendus est populus non sequendus inquit idem Cœlestinus (b) Nosque, si nesciunt, eos, quid licet, quidve non licet, commovere, non bis consensum præbere. Dicta populi electio nullum jus ad rem dabant ipsis electo, sed erat aut simplex Cleri, & populi postulatio



stulatio de persona sibi grata ordinanda in suum pastorem, vel nuda
 personæ designatio, cuius qualitates, ac electionis formam Metropo-
 lita convocatis sive provinciæ Episcopis discutiebat, & cui (sin exa-
 mine instituto persona pro regendo populo Dei digna, ac omnia alia
 canonice peracta fuerint inventa) per impositionem manuum omnem
 conferebat sacram potestatem, quæ à tali manuum impositione unice
 dependebat. Cum ratio electionum in præsentia Synodi episcopalnis
 celebrandarum multis incommodis præcipue ob difficultatem Episco-
 pos comprovinciales in unum congregandi esset obnoxia, hacque de
 causa illa forma sensim fuerit immutata, ipsi Metropolitano tamen jus
 plenum de forma electionis, ac persona electi cognoscendi, cum po-
 testate electionem confirmandi, aut rescindendi privative fuit præ-
 servatum, potestatem hanc electiones Episcoporum suffraganeorum
 vel ut canonicas probandi, vel ut minus canonicas reprobandi Me-
 tropolitæ per 13 fere sœcula sine ulla desuper mota lite constanter
 exercuere, usque dum sequioribus sœculis confirmatio jam sejuncta
 à sacra ordinatione fuerit devoluta ad Sedem apostolicam. Salvum
 pariter Metropolitis jus consecrandi Episcopos suffraganeos permanxit
 ad Sæculum XIII. usque, successu autem temporis invalescentibus Re-
 servationibus Papalibus una cum confirmatione insimul consecratio
 translated in S. P. de quo infra. Prædictam Metropolitarum in ele-
 ctionibus Episcoporum potestatem plurimi Synodorum canones con-
 firmarunt, uti Canon. IV. Conc. Nicæni: *Eerum autem, quæ sunt*
in unoquaque provincia, firmitas Metropolitano tribuatur, Can. 6.
Siquis præter Metropolitanus sententiam factus fuerit Episcopus, hunc
magna Synodus definit Episcopum esse non opportere. Can. 12. Lao-
dicens: Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum, Episcopo-
rum, qui circumcirca sunt, provebantur ad ecclesiasticam potesta-
tem

tem (c). Idem statuere plures Canones Antiocheni, Carthaginenses &c., tandem potestatem ipsimet S. Pontifices (quorum cordi adhuc erat, non præjudicare juri tertii legitime quæsito) atrectare, aut labefacere tam parum in animum induixerunt, ut potius eandem in suis Decretalibus sua autoritate communire studuerint, ut Innoc. (d) Extra conscientiam Metropolitanus Episcopi nullus audeat ordinare Episcopum, hoc enim & Synodus Nicæna constituit, atque definit. Bonifacius in epist. ad Hilarium Patroclum irritam decrevit ab eo factam Lutubensis Episcopi ordinationem, quod eam egisset, contra regulas Patrum prætermisso Metropolitano, plures vid. apud DE MARCA (e). Multa diximus in compendio, fusori pertractari calamo digna, ast scopus unicus in præsenti erat solum ostendere, quid juris Metropolitis olim in electionibus Episcoporum competenterit (f), vid. interim Dissert. nostra ad Concord. Germaniæ Art. III. §. I. & seqq.

- (a) Apud Gratianum Dist. 62, Cap. 12. (b) Dist. 62, Cap. 2. (c) Dist. 24.
Can. Episcopi 4. (d) Ad Viaticum Episcopum Rothomagensem. (e) Lib.
2, Cap. 8. (f) De iporum Metropolitanorum electionibus atque ordina-
tionibus Bingham L. cit. Cap. 16, §. 15. „Eadem lex in iporum Metropolitanorum
ordinatione observari debebat, quippe quos à suis iporum Episcopis
provincialibus eligi oportebat, atque consecrari, qui non necesse habebant, ex
alia provincia Metropolitanum ad id faciendum accersere, sed id faciendi in
provinciali sua iporummet Synodo authoritate inter se ipsos erant instruti“.

§. IV.

Alterum Metropolitarum jus in facultate convocandi Synodum provinciale consistebat. Cum negotia communia provinciæ in com-
muni pertractanda, ac Decreto Can. apostolici 33. cuiusque provin-
ciæ Episcopi eum, qui inter ipsos primus est, veluti caput agnos-
cere, nec sine ejus voluntate quidquam insolitum, nisi quod ad pri-

vatum



vatum Regimen parochiæ pertineat, aggredi julebantur, cui Canoni majus ac novum addidit robur Can. Antiochenus IX. Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia scire oportet, Episcopum, qui præst Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod . . . unde visum est, eum quoque honore præcedere, reliquos autem Episcopos nibil magni momenti aggredi sine illo, ut vult, qui ab initio obtinuit Patrum Canon. hinc nullius, nisi solius Metropolitanæ erat tempus, & locum Synodi celebrandæ indicere, & ad eandem (Metropolitano provinciales Episcopos admonente) Episcopos provinciæ per litteras circulares, synodicas quoque dictas convocare, nullis vero liceat, apud se celebrare Concilia, præter eos, quibus à Metropolitanis evidentur esse jura concessa (a), Episcopis convocatis necessario personaliter comparendum sub poena suspensionis à communione, si quis Episcoporum commonitus à Metropolitanu ad Synodum nulla gravi intercedente necessitate corporaliter venire contempserit, sicut Patrum statuta sanxerunt, usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur (b). Prædictum istud jus modo ante Conc. Nicenum ex antiqua consuetudine Metropolitanas obtinuisse verissimum, quod dein cit. Can. 20. Antiocheno stabilitum, imo Can. 16. perfectum illud dicitur Concilium, cui Metropolitanus interest „perfectum vero illud Concilium est, ubi interfuerit Metropolitanus antistes „secundum pristinas Patrum regulas bis in quolibet anno Synodus provincialis celebranda, placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari . . . unum quidem ante quadragesimam Paschæ, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum, secundum vero circa tempus autumni (c). Eandem constitutionem iterat Synodus Antiochenæ (d) discrimen inter utrumque Can. solum reperitur quoad tem-

pus

pua celebrationis, Can. siquidem Niçenus unum conventum ante quadragesimam Paschæ, alterum circa tempus autumni celebrari præcipit, Antiochenus vero sequens Can. apostolicum primum quarta septima post festum Paschatis, secundum vero idibus Octobris. Cum vero labente tempore admodum difficile videretur tories in unum congregari Episcopos, paulatim ad annum celebratio Synodorum provincialium protrahi cœpit, sic Justinianus celebrationem Synodi semel tantum in anno Mense, vel Junio vel Septembri fieri concessit (e) majorem moderationem indulxit Trid. statuens „provincialia Concilia, scubi omissa sunt, pro moderandis moribus &c. innoventur, quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior intra annum ad minus à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet saltem Triennio non prætermittat Synodus in provincia sua cogere“. Ex hisce verbis apertum intentionem Trid. nullatenus fuisse antiquos Ecclesiæ Canones frequentiorem Synodorum celebrationem præscribentes abrogare, sed pro majori cautela statuere, ut singulis saltem Trienniis Synodus provincialis cogeretur. Summa semper auctoritatis in Ecclesia agnita fuere judicia Synodorum provincialium, in eisdem agitabantur causæ ecclesiastice Clericorum, & laicorum, excommunicationes ab Episcopis latæ examini subjiciebantur, causæ etiam criminales Episcoporum, quæ depositione dignæ judicabantur, in eisdem instituebantur, ac terminabantur, accusationes quoque contra Metropolitas discutiebantur &c. paucis: *Corrigenda singula, si quæ fortassis emerserint*, ut loquitur Can. 19. Chalced. Ipsi R. Pontifices vix aliquod gravioris momenti negotium extra Synodum decernere solebant „imo Decreta Romanorum Pontificum in majoribus negotiis non fuisse reputata ut canonica, nisi essent synodaliter probata, & edita, neque ut talia à Successoribus eorum reputata, pro-

G

pro-



probat professio fidel, quam novus Pontifex electus ante suam ordinacionem emittebat, in hac enim profitetur Constituta, & Decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis observare, sed cum hac restrictione: quæ synodaliter constituerunt (f)⁶. Unde Ecclesia frequentiorem illarum Synodorum celebrationem, ut in iisdem de conservanda, & restauranda disciplina in communi pertractetur, urgere, & Episcopis præcipere nunquam intermisit, ast, quod dolendum, novimus non obstante illo saluberrimo Ecclesiæ præcepto Synodos provinciales passim negligi, cui neglectui collapsio disciplinæ ecclesiasticæ magna ex parte adscribenda.

- (a) Can. Antioch. 20. (b) Can. 6. Conc. Tarragonensis rel. Dist. 18. Can. 14.
 (c) Can. 5tus Nicenius. (d) cit. Can. 20. (e) Novell. 137. Cap. 4.
 (f) VAN ESPEN p. 1, tit. 20.

§. V.

Tertium Metropolitarum jus in potestate decidendi causas inter ipsos Episcopos comprovinciales ac decidendi causas ipsorum subditorum consistebat. Liberum eidem Diœcœsi suarum Regimen, ac libera administratio de jure competebat Episcopis, hi nihilominus Metropolitatum velut caput, ac superiorem (cui reverentiam insimul, ac obedientiam exhibere tenebantur, id quod ad evidentiam constat ex jureamento in ordinatione Episcoporum olim emitti solito) agnoscere debebant. Ac primo Metropolitanus Judex existebat in dissidiis ecclesiasticis contra Episcopos, quod si Clericus habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum provincie judicetur (a), idem apud GRATIANUM (b) Metropolitanum quoque per Censuras procedere posse contra Episcopos edocet Honerius III. (c), item Innoc. IV. (d), 2do tam de jure veteri, quam novo Meropolitanis judges in causis, quæ per appellationem à sententia Episcoporum

porum ad eosdem devolvuntur, 3to ex sola queque Episcoporum negligentia causa subditorum provincie pertranseunt ad Metropolitarum judicium (e), 4to licitum Metropolitano per totam provinciam, vel ejus partem visitationis officium exercere, Civitates, Dioceces, Suffraganeos, & eorum Subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, Ecclesias, & alia Religiosa & pia Loca, Clericos & Populos libere visitando, ac procurations à locis tantum recipere visitatis (f) alia Metropolitarum jura, ac munia prætermittimus, de quibus latius vid. BINGHAM (g). Nemo est, qui ignorat, de juribus istis antiquis Metropolitarum legibus recentioribus aliter fuisse dispositum, ac eadem in pluribus fuisse diminuta, ac primo quidem consuetudine in multis Ecclesiis fuerat introductum, quod suffraganei honoris causa suos Metropolitanos statutis temporibus invisere &c. tenerentur, hic usus vero abrogatus per Trid. (h) Concilium hoc loco videtur solum particularibus Ecclesiarum consuetudinibus derogasse, juxta PALLAVICINUM vero (i) Sententia Patrum fuit, ut Episcopi suffraganei essent liberi ab obligatione adeundi Metropolitanorum Sedes excepta Synodi convocatione. Statuit idem Trid. (k) „à Metropolitanis etiam post plene visitatam propriam Dioecesin non visitentur Cathedrales Ecclesiae, neque Dioeceses suorum Comprovincialium, nisi ex causa cognita, & probata in Concilio provinciali“¹. Hanc visitationem in desuetudinem abiisse nullatenus mirandum, quia Synodes provinciales sensim fuisse negligias scimus. Utroque hoc in loco potestatem Metropolitarum non fuisse vere coarctatam, imo è contrario jura metropolitica variis in locis per Patres Tridentinos fuisse potius roborata, ac aucta ostendit THOMASS. (l) Ademptum vero Metropolitis (quo per 13. fere Se-

cula





cula eosdem ex omni jure gavilos fuisse afferuimus) jus istud certe unum è præcipuis confirmandi Episcopos Suffraganeos, ac in ipsis quoque nostris Concordatis (quoniam liberrimum jus eligendi Episcopos, aliosque Prælatos ecclesiasticos nationi nostræ strenue vindicatum) R. Pontifici assertum, ac stabilitum (*m*). Perperam vero inde concluditur P. quoque in vim Concord. jus consecrandi Episcopos Suffraganeos quoque fuisse adjudicatum. Reservatum itidem per Trid. (*n*) privative S. Pontifici cognoscere de causis criminalibus majoribus contra Episcopos, quæ *Depositione*, aut *Privatione* dignæ sunt. Quandonam harum causarum cognitio R. Pontifici incoepit reservari, incertum, hoc tamen fatis certum, modo ante Tridentinum cognitionem earundem fuisse reservatam. Tridentinum solum loquitur de causis criminalibus, unde quoad civiles nil à Tridentino immutatum, quod ergo non fuit immutatum, curflare prohibeatur? In causis civilibus igitur Episcoporum (nisi privilegio exemptionis sint suffulti) judices ordinarii permansere Metropolitæ. Refertur quidem declaratio quædam Cardinalium eandem dispositionem Trid. extendens pariter ad causas civiles, at hæc interpretatio contra claram literam, & mentem Tridentini, adeoque nullius roboris, Cardinales Concilium dubium quidem declarare, neutquam vero ultra verborum proprietatem extendere, id quod modo agnovit Veteranus Canonista P. ENGEL (*o*). Quidnam censendum de authoritate declarationum Cardinalium, vid. ZALLWEIN (*p*). Inter varias causas, ex quibus in tantum hodie dum minuta jura Metropolitarum, præcipue recenti meretur collectio falsarum Decretalium per Isidorum MERCATORREM, de eo legi meretur celeberrimus Historiographus Mich. Ignat. SCHMIDT (*q*). Pro dignoscendis hodiernis Metropolitarum iuribus pon-

ponimus regulam generalem: Omnia ea jura adhucdum hodiecum
exercere valent Metropolitæ, quæ fuisse adempta, aut restricta pro-
bari nequeunt (r).

- (a) Can. 9. Chalced. item Can. 17. (b) Can. 1. Can. 4. q. 5. ac Can. 6. Can. 10.
q. 3. (c) Cap. 52. de Sent. Excom. (d) in Cap. 1. §. fin. de offic. ordi-
nati. in 6. (e) Can. 21. Can. 9. q. 3. (f) Innocent. IV. Cap. 1. de
Cens. in 6. (g) L. cit. à §. 12. (h) Seff. 24. Cap. 2. de Reformat.
(i) Hift. Trid. Cap. 10. N. 1. (k) L. cit. Cap. 3. (l) p. 1. Lib. 17
Cap. 48. N. 11. & seqq. (m) §. Item in Ecclesiis Metropolitanis.
(n) Seff. cit. Cap. 5. (o) ad tit. de M. & O. §. 4. (p) T. 2. q. 3.
Cap. 7. §. 6. (q) Erster Theil, drittes Buch, schiehntes Kapitel. (r) de
Archiepiscopatibus Germaniæ, vid. Adrian. DAUDE Hierarch. Ecclesiast. Sect. 2.

PARERGA SELECTA

EX

HISTORIA ECCLESIASTICA UNIVERSALI.

- I. **C**ontroversia *Viborenii* inter & *Polycratem*, *Stephanum* inter &
Cyprianum satis edocet absolutam in Petri Successore potesta-
tem ab antiquitate nunquam fuisse agnitam.
- II. Ea omnia, quæ *adventitia*, quæ *secundaria*, aut *specialissima* R.
P. dici assolent jura, primitivæ Ecclesiæ omnino fuere incognita.
- III. Quod legimus in quadam Dissertatione, jus scilicet confirmandi
Patriarchas in Occidente fundari in illa unione, qua Ecclesiæ om-
nes conjunguntur cum Ecclesia Romana tanquam Centro unitatis,
Matre, & Magistra omnium Ecclesiarum, qui potest capere, capiat.
- IV. Epistola 1. B. Clementis ad Corinthios velut genuinum antiqui-
tatis monumentum veneranda. Verum
- V. Utraque Epistola, & illa *Abgari ad Jesum*, & alia *Jesu ad Ab-*
garum commentitia ac apocrypha censenda.

VI.



- VI. An sorte, an privato Sp. S. instinctu facta Divisio Provinciarum, in quibus Apostoli Evangelium prædicaturi? R. argumenta Baronii ad an. 44. N. 20 & 21. pro speciali Sp. S. impulsu fat solida, sed quid vetat utrumque dicere?
- VII. Attenta Patrum traditione verisimilius videtur Paulum illud, quod animo conceperat Rom. 15. §. 24. executioni quoque mandasse, vid. Baronius ad an. 61.
- VIII. Septem Diaconi, de quibus Act. 6. §. 1., eleksi quoque ad saecularium mensarum ministerium.
- IX. Distincte olim in Ecclesia Communio *Ecclesiastica, Laica, & Peregrina*, ac una cum altera nullatenus confundenda.
- X. Quanta mutatio, tanta Synodorum provincialium in Ecclesia olim authoritas, ut causæ majores in eisdem debuerint decidi.
- XI. Quonam jure olim Episcopis adempta facultas dispensandi in lege communi &c.?
- XII. Primus omnium, attentans Metropolitis imponere necessitatem à Sede Romana petendi Pallia, Bonifacius Moguntinus in Synodo Moguntina legitur, & hoc quanam de causa . . . ? Ast
- XIII. Metropolitas Franciæ & Galliæ eandem constitutionem statim ambabus fuisse amplexos manibus non legimus. Vid. Geschichte der Deutschen, Erster Theil, p. 388. item Zallwein T. III. q. 1. C. 3.
- XIV. Lapsus Marcellini, ac Conc. Sinuesianum licet antiqua memorent Historiae monumenta, eundem tamen lapsus ut commentium, ac Concilium ut supposititum rejicimus cum R. R. vid. Anton. Pagi in Critica ad an. 302.
- XV. Utrum felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus illegitimè usurpati Pontificatus damnandus. Problema est.
- XVI. Immerito Baronius cum aliis conatur deprimere autoritatem Can. Illiberitanorum.
- XVII. Infirmum argumentum, quo utitur Baronius ad probandum Synodum Laodicenam Nicenæ antiquorem.
- XVIII. Errorre lapsus Innocentius III. C. à multis de ætate, & qualit. præfici., dum judicat Subdiaconatum ab Urbano II. inter sacros, seu majores Ordines fuisse relatum.

- ❖ ❖ ❖
- XXIX. Ex Can. 6. Conc. Carthaginensis V. perspicuum, in iis baptizandis, de quorum Baptismi valore ambigebatur, nondum adhibitam fuisse eo tempore clausulam præscriptam Cap. 2 de Baptismo.
- XX. Visio S. Petri Alexandrini de Ario, ejusdemque Martyris acta merito suspecta censentur falsitatis, ac suppositionis.
- XXI. Quodnam illud *dilectum animæ*, quod Can. 2. Nicæno legitur excludere à Clero, si quis à 2. aut 3. testibus fuerit convictus? R. verius videtur intellectam fuisse luxuriam, per actum externum completam.
- XXII. Quid aliud per Canones Sardenses S. P. adjudicatum, quam merum jus quoddam revisionis?
- XXIII. A vero aberrant, que S. Epiphanius hæresi 68. de Origine Schismatis Meletiani refert.
- XXIV. Qui de eo dubitare possit, num in vim Tridentini Sess. 23. Cap. 1. de Reform. Parochus à Parœcia absque licentia Episcopi abesse possit, nescimus.
- XXV. Translationes primis Ecclesiæ Sæculis graviter prohibite, & finiebant ita urgente Ecclesiæ necessitate, aut utilitate, authoritas Metropolitæ intervenire debebat.
- XXVI. Originem Dignitatis patriarchalis derivamus tum ab Ecclesiis matricibus, per Petrum fundatis, tum ab urbibus Metropolibus.
- XXVII. Sententiae neganti Patriarchatum Episcopi R. sese extendisse per totum, qua late patet, occidentem, cur denegetur probabilitas?
- XXVIII. Canonem 6. Nicenum interpretamur de jure *Patriarchico*, non *Metropolitico*.
- XXIX. Authentiam Can. 3. Constantinopolitani solidis non suffulsa rationibus Baronius revocat in dubium.
- XXX. Quidnam Episcopo Constantinopolitano in vim dicti Canonis concessum? R. nil aliud, nisi merus confessus honoris post Episcopum Romanum.
- XXXI. Unde Pontifices sibi jus arrogarunt Ecclesiæ particulares erigendi in Ecclesiæ Primatales, R. occasione falsorum Decretalium.
- XXXII. Metropolitas ortum traxisse ab ipsissimis Apostolis omni definitur probabilitate,



XXXIII. Jura Patriarcharum, ac Metropolitarum primum Consuetudine, ac moribus Cleri, ac populi introducta, dein legibus Conciliorum stabilita invenimus.

XXXIV. Metropolitas per 13. fere Sæcula liberrime semper jus confirmandi, ac consecrandi Episcopos Suffraganeos exercuisse, bene novimus.

XXXV. Qui dispositionem Trid. Sess. 24. de Reform. Cap. 5. quoquo extendere volunt ad causas civiles, & literæ, & menti Tridentini vim inferunt.

XXXVI. Olim gratis pro Deo & Scriptura pallium concedebatur, imo omnis præstatio severissime prohibita Can. novit. 3. Dist. 100, an adhuc in viridi observantia?

XXXVII. Can. 4. Concilii Oecum. Chalced. invenimus statutum: ut Monachi cujuscunque regionis & civitatis Episcopo sint subjecti . . . ut Episcopus civitatis eam, quam par est, Monasteriorum curam gerat . . .

EX HISTORIA ECCLESIASTICA GERMANIÆ.

XXXVIII. Quonam fundamento dici valet jus Precum vel per Concordata, vel per Trid. Sess. 24. de Reform. C. 19. fuisse sublatum, imo eidem vel in minimo derogatum?

XXXIX. Unde Imperator gaudet jure dandi primarias Preces? R. ex antiqua & approbata consuetudine.

XL. Preces primarias extensas olim fuisse ad omnia Beneficia, *cum Cura, & sine Cura*, ad omnia tam Sæcularia, quam Regularia, ad ipsum Monachatum satis notum.

XLI. Jus primariarum Precum in vim A. B. prætendere nequeunt Vicarii Imperii, evincit hoc ipsius Caroli V. Diploma de 1353. apud Würdtwein *Subsid. Diplomat.* T. II. p. 30. Veruntamen.

XLII. Ex jure solummodo cesso jus primariarum Precum per alios nonnunquam fuisse exercitum satis notum ex Diplomate Wenceslai de an. 1376. ibidem pag. 34.

XLIII.



- XLIII. Ipsos tres Emissos Electores Ecclesiasticos jure proprio dedisse
Preces Primariae evincunt pariter diplomata. Cf. Würdwein T. III.
- XLIV. Litterae Primariarum Preçum non confundendæ cum litteris
alimonialibus sic dictis: *Panis Brief.* Vid. L. B. de Cramer
Obser. Jur. univ. T. V. Obs. 1358. p. 347.
- XLV. Nullus Pallii usus in Archi-Episcopatibus Protestanticis J. P.
O. art. 5, §. 19.
- XLVI. Jus Primariarum Preçum quoad Ecclesiæ mediatis art. cit,
§. 26. restrictum ad diem 1. Jan. 1624. prout Imperator exercuit,
quod intelligendum non de *reali exercitio*, sed de *facultate exercendi*.
- XLVII. In Ecclesiæ immediatis A. C. casu (quo Capitulum vel ob
delictum, vel negligentiam jure eligendi privatum) jus devolutio-
nis competit augustissimo Imperatori.
- XLVIII. Domino territoriali introducere simultaneum *innoxium* suæ
Religionis (quæ in anno normali nullum publicum, nec privatum
habuit exercitium) per J. P. haudquam interdictum.
- XLIX. Princeps igitur à Protestanticâ transiens ad nostram Religionem,
quanam de causa prohiberi posset ab introducendo publico suæ Re-
ligionis coexercitio?
- L. Neque Domino territoriali *Jus transplantandi* subditos etiam in-
vitos vigore J. P. denegare possumus.
- LI. Juste, ac legitime à Ferdinando Rom. Rege P. R. insertum fuit
Reservatum Ecclesiasticum.
- LII. Multum dubitari licet, ad quid illa protestatio ab Innocentio X,
contra conclusa à summis Paciscentibus in P. W. interposita.
- LIII. Nesciunt, in quo consistat Primatus S. P., qualis à Christo
descendit, qui eidem vel in minimo volunt esse derogatum per
nostra Concordata.
- LIV. In Episcopatibus germanicis S. P. non posse constituere Coad-
jutorem cum futura Successione irrequisito ac non obtento Capituli
consensu indubitatum habetur.
- LV. Jus confirmandi Electiones ad Ecclesiæ Metropolitanas, item Ca-
thedrales S. Apostolicæ immediate non subjectas per Concord. trans-
latum in S. P. optime novimus, verum.



LVI. Qui ex eo inferunt Jus quoque consecrandi Episcopos Suffraganeos S. P. reservatum, eosdem & Concordata Principum ignorare, nec penetrasse mentem Aschaffenburgenium necesse videtur.

LVII. Canonice electum in vim Concord. P. confirmare tenetur, ad quid igitur Concord. inserta Clausula: *nisi ex causa rationabili, & evidenti &c.*?

LVIII. Majores dignitates post Pontificales in Cathedralibus, & Principales in Collegialibus Ecclesiis ab alternativa mensium exceptae in favorem Ordinariorum.

LIX. B. A. C. 2. §. I. statuit, *ut homo justus, bonus, & utilis pro salute populi christiani eligatur in Regem R., quisnam alias intelligitur, quam Princeps sacris Catholicorum addictus?*

LX. An in eo abrogata censenda B. A. pert. art. 5. §. I. J. P. O., in quo inter utriusque Religionis Principes & Electores statuta aequalitas exacta, & mutua?

Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasei scandalum, quam veritas relinquatur.

Greg. M. Hom. 7mā in Ezech.

Non enim possumus aliquid adversū veritatem, sed pro veritate tantum.

2. Corinth. Cap. XIII. §. VIII.



ULB Halle
006 389 805


3



vd18



B.I.G.



1784

340
381

DISSERTATIO
HISTORICO-ECCLESIASTICA
DE
PATERNITATIBUS, PRIMATIBUS,
AC
DIGNITATIBUS METROPOLITICIS.

Q U A M
UNA CUM PARERGIS SELECTIS

EX
HISTORIA ECCLESIASTICA UNIVERSALI,
AC PARTICULARI

P R A E S I D E

ANDREA SPITZ

ABBATIE TUITIENSIS ORD. S. BENEDICTI PROFESSO,
HISTORIE ECCLESIASTICÆ AC THEOLOGIE LITTERARIE
PROFESSORE O. & P.

ERUDITORUM TENTAMINI EXPONIT IN ACROATERIO
MAJORE BONNENSI

MANSUETUS SCHRÖDER

MIN. CONVENT. PRESBYTER, HISTORIE ECCLESIASTICÆ
AC JURIUM AUDITOR

Die 1. Julii 1784. Mane à IX ad XI.

BONNAE,
EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACAD. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

